UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R.D. Iacobi Marchantii, Pastoris Et Decani Covviniensis SS. Theolog. Professoris, Rationale Evangelizantivm

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniae Agrippinae, 1661**

Tractatus IV. De Festis Infantiæ Domini Jesu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-56372

Visual Library

*Exempl.* Refert Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis. lib,2. Mirac,c.22. de Mathæo Albanenſi Epiſcopo, Viro ſancto, ipſum ad extremum veniſſe ipsâ nocte dicata Chriſto naſcenti. Cum verò noctis medio reſonantes Templi campanas audiſſet, dum *Gloria in excelſis Deo* intonatur, quo potuit geſtu & voce in lætitiam erumpens, dixit: *Chriſtus natus eſt nobis, Gloria in excelſis Deo.* Sicque totum Hymnum illum Angelicum mira pietate pronunciavit. Aurora autem adventante, ad imaginem Crucifixi ſeſe convertens, dixit: *Eia amantiſſime Domine mi, hanc mihi gratiam impertire, ut hac nocte qua naſci dignatus es, moriar.* Hæc ejus poſtrema fuere verba. Nec fuit irritum votum. Cum enim iam in aurora illud inchoaretur in Miſſæ introitu, *Lux fulgebit hodie ſuper nos*, animam reddidit vocatam in partem ſortis Sanctorum in lumine. Ergò quia ipſe optarat totâ cordis & vocis contentione *Deo Gloriam, & Pacem hominibus bonæ voluntatis*, exaudivit Dominus ejus voluntatem, & pium votum in die quo per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitavit nos Oriens ex alto; & illuminavit ſedentem in tenebris & umbra mortis, direxitque pedes ejus in viam æternæ pacis.

# TRACTATUS IV.

## DE FESTIS INFANTIÆ DOMINI IESV.

### LECTIO I.

Thema. *Per viſcera miſericordiæ viſitavit nos Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris, &c.*

*Pro die nativitatis Domini noſtri Quomodo debeat adorari Chriſtus naſcens, ut ſol divinus in Oriente ſuo, Iob. 31.*

SOliti ſunt olim Gentiles ſpeciali cultu Solem orientem tamquam Deum adorare, & ei ſacrificia offerre; quia Soli orienti non ſolum lucem; ſed & omnia alia beneficia, quaſi ab eo accepta referebant. Hinc illud Virgilii duodecimo Æneidos:

*Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem:*
*Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro*
*Summa notant pecudum, paterisque altaria libant:*

De hac re etiam dicitur: *Si vidi Solem cum fulgeret, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum:* Quaſi dicat: Deus non habeat partem mecum, & mihi non ſit propitius, ſi more aliorum Gentilium inſpexi Solem ut adorarem eum, etſi in ſignum adorationis & reverentiæ, manus meas verſus eum protenderim, & poſtmodum ad os reducens, illas oſculatus fuerim quaſi ejus luce ſacratas & perfuſas. *Hoc nempè oſculum erat ritus ſalutandi & adorandi Solem, maximè in ortu ſuo, teſte S. Hieronymo, l. 1. contra Ruffinum, & aliis.*

*Quomodo gentiles ſolem orientem adorarint.*

*4. Reg. 23* Huc etiam ſpectat quod Joſias dicitur *abſtuliſſe equos quos dederant Reges Iuda Soli, & currus Solis combuſſiſſe igni* Nempè ſoliti ſunt Gentiles, & tunc temporis eorum imitatione Judæi, devovere Soli equos, & illos alere publico ſumptu. Quibus quidem equis vehebantnr cum quadriga certi viri, qui deſignabantur quotidiè ut in Montem ſummo mane procederent, ad Solem orientem ſalutandum & adorandum, ut aliqui dicunt. Vel certè hi equi ſerviebant ad ſtatuam Solis per vicos ſolenniter circumducendam certis temporibus, ut adoraretur, & ab eo ſerenitas, aliaque beneficia impetrarentur. Denique ſicut tauros Jovi, ita & equos Soli ſolebant hi idololatræ immolare, & flammis abſumere; ad ſacrificium ergo alebantur.

*Ritus adorandi Solem.*

Notum eſt apud Ezechielem quomodò conqueratur Dominus introducens Prophetam in atrium domus Domini interius, ubi oſtendit ei *quaſi viginti quinque viros dorſa habentes contra templum, ſive contra Arcam Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis, applicabantque Ramum ad nares ſuas.* *Ezech. 8. 2.* Hæc erat altera cæremonia adorationis, quâ Ramum lauri, quæ ſacra erat Soli, oſculabantur, & deinde naribus applicabant, quaſi gratias agentes de ejus odore ſuavi; ſimulque oſculando laurum, Solem oſculari & venerari, ſive adorare cenſebantur; quem quia contingere cominus non poterant, per laurum ſaltem eminus attingere ſibi videbantur, & ſe illi vovere.

Certè hæc adoratio Solis orientis (quaſi divinum quoddam Numen foret) cum ſuis ceremoniis & ſacrificiis meritò reprobatur in ſacris litteris tāquam abominatio, & iniquitas peſſima, & negatio contra Deum Altiſſimum, quaſi non eſſet Deus Altiſſimus, Creator ipſius Solis, & lucis ejus Auctor, ſolus ipſe adorandus. Nos interim Chriſtiani Nativitatem Chriſti Filii Dei piè celebrantes, meritò tamquam Solem noſtrum agnoſcimus, & in Oriēte ſuo eum adoramus, quia ſecundum divinitatem *Lumen eſt de lumine, Splendor gloriæ, & Candor lucis æternæ;* *Sap. 7.* ſecundum humanitatem verò eſt *Lux vera quæ venit in hunc mundum, ut illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum,* *Ioan. 1.* ſimulque omnem hominem ex hoc mundo exeuntem; & ut dirigat quemlibet in viam pacis & æternæ lucis, ſi non diligant homines magis tenebras, quā lucem. Hic

*Pſ. 103.*

eſt Sol quo in ſuo Oriente illud verum eſt: *Ortus eſt Sol, & congregrati ſunt* (nimirum catuli Leonum rugientes) *in cubilibus ſuis collocabuntur.* Quia ſc: tempore noctis & tenebrarum avidi ad prædã Dæmones, quaſi Leonum catuli huc illuc diſcurrebant. Nunc autem (quia nox præceſſit, dies autem appropinquavit hoc Sole orto) illorum ferocitas in timiditatem verſa eſt; etenim multa præda eorum dẽtibus eſt eruta, & in cubilia ſua coacti ſunt Chriſto veniente regredi, magis quam antea concluſi & colligati. Hinc & ex idolis ac delubris ſuis cedere juſſi ſunt, in quibus ſeducebant homines, quos raperent. Refert Nicephorus, *Auguſtum, ut de ſucceſſore conſuleret templum Apollinis acceſſiſſe, & oblato ſacrificio Hecatombe ſive centum victimarum, Oraculum interrogaſſe. Continuit autem illud. Mirante Auguſto, & cauſam ſciſcitante, rurſus oblato ſacrificio, coactus eſt Dæmon hanc rationem reddere.*

*Me puer Hebræus* Divos *Deus ipſe gubernans*
*Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum.*
*Aris ergo ex hinc tacitus abſcedito noſtris.*

In vita quoque S. Arthemij Martyris apud Sur. 20. Octob. legimus hoc reſponſum Apollinis Delphici dum interrogaretur in templo ſuo & idolo.

*Dicite vos Regi pulcherrima corruit aula.*
*Non tectum pulcher, nec laurum vatibus aptam*
*Phœbus habet; fontuque extincta eſt lympha loquentis.*

Rurſus aliud reſponſum ejuſdem Apollinis à S. Arthemio refertur, cum hac querimonia:

*Heu heu, me Tripodes deflete Extinctus Apollo eſt.*
*Extinctus. Vir me cœleſtis lumine perdit.*

Nempe Sol ſub nomine Apollinis colebatur, qui & Phœbus nominatur. Sic dementabat eos Dæmon, multa dans reſponſa per idolum Apollinis radiantis inſtar Solis. Sed tandem Sole noſtro adveniente & oriente, extinctus Apollo eſt, extinctus eſt Sol ille idololatricus & falſiloquus, & in Tartareas tenebras remerſus, non ferens lucem Solis noſtri orientis. Hic eſt ergò Apollo noſter, hic noſter Phœbus, qui attulit ſcientiam ſalutis; & illuminat eos qui in tenebris & umbra mortis ſedent.

*Chriſtus natus die Dominico*

Ideo & in Dominico die, qui *Solis dies* nominatur, Chriſtus natus eſt, poſt mediam ſcil. noctem ut tradit Rupert. de divinis officijs l.3.c.16. his verbis: *Nocte Dominica natus eſt Chriſtus, conſonante mirabilium ſuorum ordine, ut quo die dixit: Fiat lux, & facta eſt lux, ejuſdem diei nocte, oriretur in tenebris lumen rectis corde, Sol ſcil. juſtitiæ Chriſtus* Hæc Rupertus. Hic eſt ille Sol de quo rurſus Pſalt. *Sol cognovit occaſum ſuum.* Ab ipſo enim ortu ſuo agnoverat mortem & paſſionem, per quam ſuum debebat habere occaſum, ut iterum novo oriente renaſceretur per reſurrectionem. Deſiderabat autem hunc occaſum jam exinde quia per illum paſſionis occaſum ſciebat conſummandam redemptionem noſtram, quam in ortu ſuo inchoabat.

*Quidam tenebriones ſolem deteſtantur.*

Quidam populi dicuntur Solem in ortu ſuo execrari, & maledictis impetere, quia terram eorum exurit. Tantum ergò abeſt, ut hi eum orientem adoratione dignum judicent, quin potius lapidibus in eum jactis odium teſtantur vel convicijs inſectãtur. Sic de populis Æthiopiæ juxta Athlantem mõtem habitantibus teſtantur Herodotus, Plinius, Solinus, & alij hiſtorici. Nigris iſtis populis nigra placet nox, ideo inimici ſunt auroræ & lucis. Hi videntur notari dum de quibuſdam dicitur. *Maledicant ei, qui maledicunt diei.* (*Iob. 3.*) De adulteris quoque, qui caliginem obſervant ut ſcelera ſua deſignent, alibi dicit Job: *Ipſi ſunt rebelles lumini, & neſcierunt viam ejus. Si apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.* (*Iob. 24.*) Nempe placet etiam eis nox, quia apta ut alieno thoro inſidientur, & libidini ſuæ vacent, lux autem eorum revelat turpitudinem, ideo ei adverſantur. Sic Chriſtus Oriens inſtar Solis, & lucem gratiæ afferens ad diſſipandum tenebras ignorantiæ & idololatriæ, caliginem errorum & vitiorum, umbraſque ad noctem veteris legis, multis non fuit acceptus, qui ſuam caliginem ac noctem adamabant. Hinc ab Herode impeditur & ejus aſſeclis mox ab ortu, à Judæis quoq; convicia patitur & maledictionis, à Gentilibus poſtmodum varias perſecutiones, denique à pleriſque contradictiones, ita ut dixerit de ſe Joannes. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim mala opera eorum. Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* (*Ioan. 3.*)

*Chriſtus ad illuminandũ natus, paucis fuit gratus.*

Nos porrò adoremus hunc Solem noſtrum in ortu ſuo, non more gentili impulſi, ſed lumine fidei inſtructi per quod verum Lumen verumque in eo Nomen agnoſcimus, & ideo decantamus: *Chriſtus natus eſt nobis: Venite adoremus. Venite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro, præoccupemus faciem ejus in confeſſione.* Utique adorandus à nobis eſt in ſuo Oriente, quia adorarunt eum quicumque agnoverunt, & ſuo ad idipſum exemplo nos hodie invitant.

*Ad Chriſtum natum adorandum invitant nos.*

1\. Primo quidem adoravit Virgo Maria Solem hũc in ſuo Oriente, hoc eſt in ſua nativitate, per quã ex ſeipſa admirabili modo prodijt, quaſi SOL de STELLA. Audi S. Brigittam hac de re in ſuis revelationibus, ubi ſic partus ejus deſcribitur: *Adorabat Virgo genu flexa ad Orientem, manibus & oculis in cœlum quaſi in quadam extaſi cum dulcedine rapta Cumq; pro partu edendo fudiſſet preces, illico in ictu oculi vidit filium ſuum ante ſe editum, ex quo prodibat ſplendor eximius, auditusq; eſt cantus ſuaviſſimus Angelorum ſtatimque junctis manibus & inclinato capite adoravit ſumma humilitate & pannis involvit En ſignum magnum*, non jam in cælo, ſed in terra: *Mulier amicta Sole*, imò utero ſuo circumdans Solem & illum Cœlo Terræque pariens, ut eum cælum & Terra adoret in Oriente ſuo. (*1. B.M.V.*) Quod quidem mox præſtiterunt Angeli; adorantes eum qui illuminat ipſos mirabiliter in montibus æternis, à quo & lucẽ

*Et Angeli.*

 mutuant,

mutuant, quam in nos refundant. Ab hoc Sole &
Seraphim ardentes efficiuntur, & Cherubim mirâ
luce illuminantur, & Throni perficiuntur; & cæte-
ri cæleſtes ſpiritus claritate indicibili illuſtrantur, i-
ta ut eorum triplex officium ſit, purgare, illumina-
re, perficere. Quod quidem trinum officium ab hoc
Sole puriſſimo, ſplendidiſſimo, perfectiſſimo ſor-
tiuntur. An non ergo meritò eum in ſuo Oriente
adorant ſub humanitatis nube jam velatum, quem
in cœlo à ſua creatione contemplantur in divinita-
tis ſuæ ſplendore revelatum? Utique Pater æternus
id jubet, qui *cum introduxit primogenitum ſuum*
(Splendorem utiq; paternæ ſuæ gloriæ) *in orbem*
Heb.1: *terrarum, dixit: Adorent eum omnes Angeli ejus.*
Vult ut circumdent hunc Solem in terris Orientem
Iob.38. & laudent eum *Aſtra matutina, & jubilent omnes*
*Filij Dei* coram eo. Jure ergo inſonamus modo,
*jubilemus Deo ſalutari noſtro.*

2. Secundò adorarunt hunc Solem Orientem Pa-
Paſtores ſtores, quem agnoverunt Deum & Salvatorem e-
Luc.2. docti Angelica voce: *Ecce annuncio vobis gaudium*
*magnum, quia natus eſt hodiè vobis Salvator.* Quid
erat hoc aliud dicere, quam annuntio vobis ortum
Solis, qui vos perfundet lætitiâ & luce, vitâ & ſalu-
Eſther 8. te? Certe ſi dicitur Eſther. 8. *Iudæis nova lux oriri*
*viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium,* ob litteras
Aſſueri contra Aman & hoſtes & inſidiatores af-
fixas portis urbium; quantò magis id dici poteſt in
Eſther 11. nativitate Chriſti, quandò *Fons parvus in Solem lu-*
*cemque converſus eſt,* ut viderat in ſuo ſomnio Mar-
dochæus? Maria enim, quæ exiguus fonticulus cē-
ſebatur, Solem toti orbi genuit, refulgentem maxi-
ma luce, & lætitia afficientem rectos corde. Hinc
Solem adorarunt & agnoverunt Paſtores, non ſo-
lum Angelicâ voce; ſed cœleſti etiam claritate eos
circumfulgente in media nocte; quæ nonniſi ab
hoc Sole divino potuit prodire. Unde dicitur; CLA-
Luc.2. RITAS DEI *circumfulſit illos.* Non ergo Angelica
ſolum claritas, ſed & divina hujus noſtri Solis Ori-
entis claritas ad eos uſque pertigit. Quæ quidem
ipſos primum ſtupore affecit & timore, ſed & de-
inde lætitia & amore.

3. Tertiò adorarunt hunc Solem orientem Patres
Patres in limbo. in limbo, quia & ipſi ab hoc Sole in ortu ejus clari-
tatem quamdam perſenſerunt; ita ut tunc agnove-
rit Solem ſuum per novem lineas retrogreſſum uſ-
que ad decimum gradum Rex pius Ezechias, &
myſterium iſtud agnoſcens exultarit & adorarit.
Tunc etiam verū fuit illud à Domino de Patriarcha
Ioan.8 Abraham pronunciatum. *Exultavit ut videret diē*
*meum, vidit & gaviſus eſt.* Tunc quoque adimple-
Iſaia 9. tum eſt illud: *Populus qui ambulabat in tenebris, vi-*
*dit lucē magnā, habitantibus in regione umbræ mor-*
*tis lux orta eſt eis.* Et quidem nonnulli tradūnt quē-
dam ſplendorem ad eos in limbo deſcendiſſe terrâ
ſeſe aperiente. Sic enim habet Petrus de Natalibus,
Epiſcopus Aquilinus: *Nativitas Domini etiā decla-*
*rata eſt per elementum terræ, ſcribit namq; Damaſce-*
*nus, ſuper illud Pſalmi; Nox ſicut dies illuminabitur.*
*nativitatis nocte iſtud impletum eſſe, qua nox in hora*
*nativitatis ejuſdem in claritatem diei converſa eſt.*
*Et quia lux ad Patres qui erant in limbo deſcendere*
*non poterat, terra ſe in pluribus locis aperuit, & per e-*
*jus rimas lux ad Patres uſq; deſcendit, Et tunc imple-*
*ta eſt Prophetia. Populus qui habitabat in tenebris,*
*vidit lucem magnam.* Sed quicquid ſit de hac mate-
riali luce, ſaltem piè credimus, vel per Angelos, vel
per intellectualem lucem, Chriſti Patres in limbo
agentes agnoviſſe diem hunc natalem Chriſti ex
ipſorum progenie producti; ſic enim decebat eos
ut Parentes ſuos à Chriſto honorari, & novi gaudij
jam Orbi nuntiati eſſe conſortes.

Quartò adorarunt hunc Solem paulò poſt ortū 4.
Reges & Sapientes Orientis, quia illum agnoverūt Reges ex
Cælo ipſis teſtimonium perhibente per novum ſi- Oriente
dus Solis hujus prænuntium. Sidere illo viam eis & alij
monſtrante, ab Oriente venerunt ad veram Orien- juſti.
tem; ad illum ſcil. cujus nomen eſt ORIENS. A luce
externa præeunte ducti ſunt ad Auctorem lucis o-
mnis: *& qui de tenebris dixit lucem ſplendeſcere, ipſe* 2.Cor.4.
*illuxit in cordibus eorum ad illuminationem ſcientiæ*
*claritatis Dei in facie Ieſu Chriſti.* Dedit enim aſpi-
cientibus intellectum, qui præſtitit ſignum, inquit
S, Leo, *ut eos tanta viſionis myſterium non lateret, &* Leo ſer. 2.
*quod oculis videbatur inſolitum, animis non eſſet ob-* & 3.
*ſcurum.* Ille ergo Sol qui venit *illuminare his qui in* Epiph.
*tenebris & umbra mortis ſedent,* dirigebat pedes eo-
rum in viam pacis per Terram ſævi hoſtis, turbati,
& bellum necemque meditantis. Ipſe erat eis Dux,
ipſe Via, ipſe Terminus viæ; quia ab ipſo, & per ip-
ſum, & ad ipſum veniunt. Ipſe eis oritur, eos ducit,
eis ſe oſtendit, eos reducit. Hunc Solem adorant
proni in ſuo Oriente, ſuiſque incunabulis, & offe-
runt ei non Ramum lauri, ut olim Gentiles Soli,
ſed munera quæ Sol generare ſolitus eſt calore
ſuo in iſta Regione, *Aurum, Thus, & Myrrham.* Matt.2.
Sol enim vivifica ſua luce aurum gignit in viſceri-
b9 terræ, ſicut & Myrrham & Thus in ejus ſuperfi-
cie, in calida Orientis regione. Poſt iſtos autem Re-
ges & Sapientes alij juſti eumdem Solem Orientem
agnoverunt & adorarunt, ejus ſplendore ad id im-
pulſi. Sic Simeon, cum veniſſet in ſpiritu in tem-
plum, vidit Virginem cum infante ſuo venientem
miro ſplendore circumdatam, & in medio turbæ ac
mulierum ſpecialiter agnovit illam eſſe, quæ Solē
hunc genuerat & geſtabat; ideoq; totus ejus ſplen-
dore perfuſus & amore, amplexus eſt eum, adora-
vit ac palam profeſſus eſt ſe illum tenere & cerne-
re, qui *Lumen erat ad revelationem gentium, & glo-* Timot.
*riam plebis ſuæ Iſrael;* ſimulq; illum eſſe qui de um- Presb. O-
bra mortis dirigit pedes noſtros in viam pacis, ideo rat. de Si-
petit dimitti in pace. Denique hunc Solem adora- meone.
runt velut in Meridie Moyſes & Elias in transfigu-
rationis Monte, quando facies ejus reſplenduit ſic-
ut Sol, quando & Petrus, Joannes, Jacobus, ejus Mat.17.
claritatem non ſuſtinentes, ceciderūt in facies ſuas.
Quinto, traditur & Imperator Auguſtus hūc no- 5.
ſtrum Solem agnoviſſe, ut Solis Dominum & Cō- Agnovit
ditorem,

*hunc Solem ipſe Auguſtus*

ditorem,& Regibus omnibus ſubliniorem, monente eum hac de re Sybilla,ſive quadam muliere Prophetiſſa, quæ tunc temporis celebris habebatur.Sic enim refert Innocentius Pontifex,ſer.2. de Natali Domini. *Fertur, Auguſtum vidiſſe in Cælo Virginem geſtantem Filium, ad oſtenſionem Sibyllæ. Ex tunc prohibuit,ne quis eum Dominum appellaret, quia natus erat Rex Regum & Dominus Dominantium.* Hæc Innocentius. Plenius id enarrat S.Anton. 1.p.hiſt.1.4.c.6.his verb. *Natus eſt Chriſtus eo tēpore quo pax erat toto Orbe,quod non contigerat à tempore Numæ Pompilij ſecundi Regis Romanorum,quod Romani induſtriæ Octaviani tribuentes, voluerunt eum ut Deum venerari,Sed Imperator non aſſenſit, Cumq; populus ſuper hoc ei importunus eſſet,ut dicit Innocentius,Sibyllam Propheti ſſam advocavit, ſcire volens per oracula an alius major eo eſſet naſciturus, Cum ergo in die natalis Chriſti concilium ſuper hanc rem convocaſſet, & Sibylla oraculis inſiſteret, in media die circulus apparuit circa Solē, & in medio Virgo puerum geſtans in gremio. Quod Sibylla oſtendens, ei dixit. Hic puer major te eſt, & ideo ipſum adora. Auditaque eſt vox,dicens: Hæc eſt Ara Cæli. Vnde & illa Eccleſia (ubi tunc erat Palatium Octaviani in Capitolio) nunc eſt Eccleſia & Conventus Ordinis Minorum,qui dicitur S.Maria de Ara Cæli* Hæc S.Antonius. His conformiter loquitur Petrus de Natalibus Epiſcopus Aquilinus,& S.Bonaventura l.de Feſtivitatibus pueri Jeſu. Nec derogat fidem huic rei,quod nonnulli dicunt Sibyllam tunc temporis aliquam non extitiſſe:quia,ut inſinuavimus, per Sibyllam mulier aliqua ſpiritu prophetiæ dotata poteſt intelligi. Quamvis Cardinalis Baronius ſic hoc accipiendum putet,ut Sibylla hoc Auguſto oſtendiſſe intelligenda ſit,quia id ex Sibyllinis verſibus didicerit,in quibus perlegendis aſſiduus erat. Hoc ſaltem certum eſt,Romæ Eccleſiam eſſe ſub nomine *Ara Cæli*? & habetur ex traditione antiqua,illam appellationem originem duxiſſe ab ipſo tempore Auguſti:ſive id factum fuerit quia in Sole virginem viderit cum hac inſcriptione puerum geſtantem, *Hæc eſt Ara Cœli*, aut cum voce cæleſti idipſum inſonante:ſive,ut Nicephorus inſinuat,& ei ſubſcribit Baronius,quia in eo loco Aram extruxerit Auguſtus, cui inſcripſit. *Ara primogeniti Dei*, dum rediens ab Oraculo Pythij Apollinis,reſponſum accepiſſet antea relatum: *Me puer Hebræus Divos Deus ipſe gubernans, cadere ſede jubet.* Putatur autem Conſtantinus locum illum & Aram in Templum erexiſſe Virgini Genitrici cum dicta Epigraphè, *Ara Cæli* Hoc id nobis ſufficiat,quod Sol noſter in ortu ſuo voluerit agnoſci etiam ab illis qui in tenebris infidelitatis agebant,& per Solem ipſū aliqua ſigna dederit ſe Sole eſſe majorem,& Solis Conditorem. Nam & nonullis locis apparuerunt circa ejus Nativitatem tres Soles paulatim in eumdem coëuntes , quo quidem ſigno indicatum eſt Trini uniusq; Dei notitiam jam mundo oriri per Nativitatem Chriſti,Filij Dei,& Solis æterni.

Poſtremò dicamus; quod ipſe Sol noſtrum hunc Solem viſus ſit in ſuo oriēte quadam ratione venerari,ſi credimus S.Ambroſio dicenti in die Nativitatis novo quodam fulſiſſe ſplendore,& ad ortum feſtinaſſe. Audiendus eſt ipſe ſuiſmet verbis ſer.16. de Nativ. *Oriente Salvatore,non ſolum humani generis ſalus,ſed etiam Solis ipſius claritas innovatur, ſicut ait Apoſtolus ad Eph.1. Vt per ipſum reſtauraret omnia,ſive quæ in cælis,ſive quæ in terra ſunt. Si enim Sol obſcuratur,cum Chriſtus patitur, neceſſe eſt eum ſolitò ſplendidius lucere,cum naſcitur. Et ſi Iudæis mortem operantibus offundit tenebras , cur non Mariæ parturienti vitam,exhibeat claritatem? Aut quare non credamus,quod naſcente Chriſto Sol ad obſequium lucidior advenerit,cum Magos ad indicium clarior ſtella præceſſerit. Et ſi ſtella per diem alieni tēporis officiū miniſtravit,cur non credamus quod Sol quoq; nocturnis horis aliquantulum advento maturiore decerpſerit. Ex eo deniq; factum puto ut nox decreſceret,dum Sol feſtinus ob Nativitatis Dominicæ obſequium ante lucem mundo protulit,qu[illegible]m nox ſui temporis curſum conſummaret. Quin potius ipſam noctem fuiſſe non dico,nec aliquid obſcuritatis habuiſſe, in qua Paſtores vigilant.exultant Angeli, aſtra deſerviunt. Si Sol ad Ieſu Nave orationem defixus ſtetit in die,cur non ad Chriſti Nativitatem feſtinus promoveret in noctem?* Hæc S.Ambroſius.

*6. Ipſe Sol, juſtitiæ ſolē mox ortum quodammodo veneratus eſt.*

Nos igitur & hunc Solem in Oriente ſuo adorare convenit, *& manus noſtras exoſculari ejus luce perfuſas & conſecratas,quia manus noſtras aſſumere dignatus eſt & membra,illa deificans per carnis noſtræ aſſumptionem, & divinitatis ſuæ unionem.* Quod ſi aliquibus vitio vertitur Regibus,quod hunc Titulum ſibi arrogarint, EGO FRATER SOLIS ET LUNÆ nemo jam nobis illum invideat,quia Fratres ſum⁹ JESU ET MARIÆ,tamquam Solis & Lunæ,à quibus omnis noſtra lux procedit,omniaq; dona cæleſtia. Etenim MENSA SOLIS; celebris apud veteres,nobis per Chriſti ortum apparata eſt. Fuit illa *Menſa Solis* locus in Æthiopia,apparatis epulis ſemper refertus,& quia ut libet veſci volentibus licet. *Solis Menſam* appellarunt, & quæ appoſita ſunt, affirmant naſci divinitus. Sed hæc fabuloſa ſunt. Nobis autem Chriſtus Oriens ut Sol Menſam omnium bonorum copia refertam inſtruxit,& nos ſua luce vegetat,alit,reficit,& exhilarat. Manè ergo ſurgamus ad ſalutandum Solem hunc noſtrum adeò beneficum,qui & nobis primum ſurgit ad ſalutandum nos in Oriente ſuo,quaſi nobis dicens: *Ecce ortus ſum ad diē vobis proferendum,diſcuſſis tenebris. En vobis lætitiam lucem vitam offero, & rogo ne eam repudietis. Frondete.florete, fructificate, luce & calore meo vos vegetante exhilarante,fœcundante*

Si tantâ mentis hilaritate S. Franciſcus biennio ante mortem,(acceptâ revelatione de ſua prædeſtinatione & electione paulò poſt impreſſâ ſibi à Chriſto ſtigmata)compoſuit Hymnum Solis ; in ſole Deum ejus opificem laudans. Quantò cum jubilo Deum laudare debemus ob Chriſtum Solem

nobis

nobis ex alto Orientem, & ſingulis momentis vitæ noſtræ beneficijs nos afficientem, ſine cujus luce & radijs in morte ſumus? Canebat S. Franciſcus divino æſtuans amore: *Altiſſime, omnipotens, bone Domine tua ſunt laudes: gloria & honor & benedictio tibi ſoli referenda ſunt, & nullus homo dignus eſt te nominare. Lauderis, Domine Deus, propter omnes creaturas, & maximè propter honorabilem fratrem noſtrũ Solem, qui dieſcere facit. & nos illuminat per lucem, pulcher eſt & radians, & magni ſplendoris, tuiq; Domine ſymbolum præfert.* An non magis Deum laudare & benedicere obſtringimur propter Fratrem noſtrum Jeſum Chriſtum, qui eſt *Splendor Patris, & Imago bonitatis ejus, ac figura ſubſtantiæ ipſius,* qui ſuo ad nos adventu dieſcere facit, & per lucem nos illuminat, pulcher & radians velut Sponſus procedens de thalamo ſuo; *& nemo ſe abſcondit à calore ejus,* niſi qui ſponte in tenebris & algore voluerit deliteſcere? Hic eſt honorabilis certe frater noſter ab omnibus in ſuo primo Oriente adorandus, & ſẽper laude & amore proſequendus. Deſiderabat S Franciſc. à ſuis hunc Solis Hymnum à ſe compoſitũ de die in diem recitari & decantari; morienſq; ſibi illum præcini voluit: ac per illum recitatum coram Senenſibus magna diſſidia inter ſe foventib' ac coram Aſſiſijs ab Epiſcopo ſuo diſcordibus, illos ad pacem mirificè reduxit. D.cam & ego, hunc Hymnum ſeu Cantic. Zachar. eſſe *Canticum & hymnum Solis Orientis,* & diei illuceſcentis; ideoq; de die in diem repetendum matutino tempore, magno cordis fervore, magno Solis cæleſtis amore; illudque Canticum merito dixerim vim habere, ut pacẽ in nobis foveat, & in viam pacis dirigat. Ideo uſq; ad mortem illud in ore & corde gerere debemus: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Per viſcera miſericordiæ ſuæ in quibus viſitavit nos Oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & umbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* In oriente hujus Solis pax nuntiatur hominibus bonæ voluntatis; quia per ejus ortum pax è cælis in terras deſcendit, ideoq; & ipſe exortus eſt tẽpore pacis univerſalis. Ipſe quoq; ad nihil aliud tendit, curſum ſuum peragens, quam ut dirigat pedes noſtros in viã æternæ pacis, de tenebris & umbra mortis. Felix qui ejus radios inſpicit & obſervat, & ad lucem ejus pedes ſuos dirigit, non poteſt non in pace feliciter agere, in pace feliciter obire, tandemq; feliciſſime frui Solis hujus æterna viſione.

LECT. 2.
tripartita

## FESTO NATIVITATIS DOMINI.

*Impleti ſunt dies Mariæ, ut pareret, &c.* Luc. 2.

PARS I.
*De profectione M. V. & impletione dierum partus*
*Rom, 11.*

CONſiderans Apoſtolus miram Dei ſapientiam & providentiam in ſuis conſilijs, exclamat: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus?* Certè ſicut exaltantur cœli à terra, ita viæ Dei à vijs hominum, cogitationes Dei à cogitationibus hominum, conſilia Dei à conſilijs hominum.

1. Cerne id in caſtiſſimo illo Joſeph filio Jacob *Gen, 37.* quem fratres vendiderunt Iſmaëlitis. At quo conſilio? Ut conceptam invidiam exſatiarent; & ſomnia, quæ hujus invidiæ fomes fuerant, inania redderent. At quia mutari Dei conſilium non valet, *quem* *Gre. ho. 2.* *ideo vendiderant, ne adorarent; adoraverunt, quia vendiderunt,* inquit S. Greg. *O inveſtigabiles viæ Domini.*

2. Cerne idipſum in Jona, fugit ipſe in Tharſis, ut *Iona 1.* effugiat Domini præceptum in Niniven eum mittentis. At divinum conſilium dum devitatur, impletur; & humana ſapientia dum reluctatur, comprehenditur *Ecce enim fugitivum Prophetam Dei* *Greg. l. 6. Mor. c. 22* *tempeſtas invenit, ſors ligat, mare ſuſcipit, bellua includit, & quia auctori ſuo obedire renitetur ad locum quo miſſus fuerat ſuo reus carcere portatur.* Sepultus in ventre ceti; littus quo tendere debuerat, invenit antequam videat, fælix magis hoc ſepulchro, quam navi. *O inveſtigabiles viæ Domini!*

3. Agnoſce eaſdem in Herodis perſecutione He- *Matt. 2.* rodem ambitio urit, & timor ne ſceptro orbetur & regno, ideo furit in infantem orbis Dominum. Sed nunquid hac via Dei conſilium à neſciente impletur? Equidem Agno qui venerat immolari, victimæ debebantur & primitiæ iſtæ. Debebat & Filius Dei ulnis Matris vectus lucem Æpypto cœleſtem inferre; huic rei ſervit furor Herodis. Sic viæ & conſilia Domini diſtant à vijs & conſilijs hominum, & per eos tamen etiam inſcios & invitos conſilia Dei adimplentur. *O inveſtigabiles viæ Domini!*

4. Denique idipſum agnoſcere licet in hoc itinere Mariæ & Joſeph in Bethleem, ex ordinatione Cæſaris Auguſti auſpicantur hanc profectionem; ſed magis ex ordinatione Dei, cui Auguſti ordinatio inſcia parebat & ſerviebat. Vide quomodo diſtent viæ & cognationes Dei à vijs; & cogitationibus hominum. Auguſtus Cæſar partim ex ſuperbia & oſtentatione, partim ex cupiditate, decernit univerſum orbem ſibi ſubditum, deſcribendum eſſe; tum ut glorietur in numero ſibi ſubjectorum, tum ut cenſum colligat capitatim per ſingulos qui deſcribebantur. Atque ut hoc congruè & ordinate peragi poſſet, unuſquiſque jubetur adire civitatem ſuam, eam ſcilicet quæ caput erat familiæ. Itaque Joſepho & Mariæ ineunda eſt profectio in Bethleem, ut Cæſaris pareatur imperio, ut cenſus ſolvatur & capitis penſio. Verum longè ſublimiori conſilio hanc Mariæ & Joſeph profectionem ordinat Deus ad complendum magnum pietatis ſuæ Sacramentum in loco ab æterno deſtinato. Hic locus in libris Prophetarum ſignatus erat, & de illo Michæas apertis verbis dixerat: *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael.* En ortus Meſſiæ Ducis populi Dei deſignatus, cum ſpeciali loci circumſtantia. Immutabile eſt conſilium Dei vel in uno apice; & tempore, & loco, & modo, quem oracula ejus inſinuarunt, adimplere neceſſe eſt. Tempore ergo pacis uni-

*Michææ 5.*
*Conſiliũ Dei immutabile.*

universalis oriri vult Princeps pacis, ut oriatur cum ipſo juſtitia & abundantia pacis? hanc pacem per Auguſtum, terra marique partam indicat hæc deſcriptio. Ex Virgine vult naſci quia Deum talis decebat Nativitas, ut nonniſi de Virgine naſceretur; talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret niſi Deum; ideo eligitur MARIA. At cum illa in Nazareth domicilium figat, quomodo fit ut in Bethleem pariat, quæ tridui itinere diſtat? Deſcriptionis mandatum ad id ordinat Altiſſimus: quia Bethleem caput eſt familiæ David, illuc Mariam & Joſeph aſcendere oportet, illic deſcribi. Hoc non tam Cæſaris, quam Dei Altiſſimi decretum eſt, quod non licet præteriri ne quidem è Maria prægnante, (hæc excuſatio legitima potuiſſet videri) ut ibi eo pariat loco, qui conſtitutus eſt ab illo qui eam fœcundam reddidit & prægnantem.

*Chriſtus natus tempore deſcriptionis ſuos variè deſcribit.*

Sed nec ſine myſterio tempus vult eſſe ſuæ Nativitatis, tempus univerſalis deſcriptionis; omnibus enim vult per id inſinuare, ſe jam apparere in tempore, & naſci in carne, qui electos aſcribit in Æternitate. Quomodo deſcribit illos? Utique non uno, ſed multiplici modo. 1. Deſcribit eos in libro vitæ, in quo ipſe primus deſcriptus eſt Caput om-
1. nium electorum: *In capite libri ſcriptum eſt de me,*
*Pſal. 39.* *ut facerem voluntatem tuam.* Hic eſt liber Agni multipliciter ſignatus, & hactenus nobis abſconditus, quoad eos quos deſcriptos continet. Habet, teſte Apoſtolo, ſignaculum hoc: *Cognovit Dominus*
2. *qui ſunt ejus.* 2. Deſcribit eos in ſuo Palatio cœle-
*2. Tim. 2.* ſti, ita ut non poſſint deleri, aut obliterari: *Gaudeto*
*Luc. 10.* *quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Sublimis & eminens hæc ſcriptura, immortalis & incorruptibilis quam nec tempus edax rerum corradere poteſt, nec corrodere, utpote Æternitati conſecratam. 3. Deſcribit eos in manibus ſuis, ut numquam oblivioni eos poſſit tradere. *Ecce in manibus meis de-*
3. *ſcripſi te. Si mulier poteſt oblIviſci infantem uteri ſui.*
*Iſa. 49.* *ego tamen nō obliviſcar tui.* Hæc deſcriptio maximè effulſit in Cruce, per ſanguinem & clavos in manibus Cruci affixis, omnibus legibilis. Unde de illa ſic loquitur S. Auguſtinus. *Manus tuæ fecerunt*
*Soliloq. cap. 2.* *me, manus illæ clavis pro me fixæ; Opus manuū tuarū ne deſpicias, vulnera manuum tuarum aſpicias. Ecce in manibus tuis deſcripſiſti me, lege ſcripturam, & ſalva me.* Denique deſcribit eos (non ſolum in Cruce, ſed & in Præſepio) in corde ſuo, ut non poſſit non eos amare. Nomina ergo electorum deſcribit infans Jeſus amabili ſcriptura, cor ei pro pergameno, præſepe pro menſa, lachrymæ pro atramēto, ſpiritus Dei vivi ſervit pro calamo. Si cor dilecti pueri penetrare poſſemus, videremus charactere amoris nos illi inſcriptos indelebiliter. Cognovit enim ex tunc Chriſtus qui ſunt ejus, ex tunc pro illis ſe offerebat. Quapropter merito naſcitur in deſcriptione univerſi Orbis, qui univerſi Orbis nationes ſibi habet ſubditas, & in corde deſcriptas, ut naſcens in tempore, eas recenſeat in Æternitate. Nec ab illis quos deſcribit, tributum aliud exigit, quam denarium bonæ voluntatis.

Itaque Maria occaſione deſcriptionis dictæ adit Bethleem, non ſine auræ brumalis incommoditate, nec ſine grandi fatigatione ob viæ prolixitatē. Hæc erant præludia laborum JESU & MARIÆ. Porrò dum ingreditur, *impleti ſunt dies ut pareret,* inquit Evangeliſta Aptè dicit, impleti ſunt dies, quia in plenitudine temporis naſci debebat ex Virgine Matre, qui primum hominem fecerat initio temporis ſine patre & matre. Unde Apoſtolus dicit: *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Fi-* *Gal. 4.*
*lium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.* Impleti ſunt ergo dies, & tandem affulſit ille dies tantopere deſideratus à Patriarchis, à Prophetis, à Juſtis antiquis; & maximè ab ipſomet Jeſu in utero concluſo, & à Maria cum per tot menſes geſtante. In Maria enim omnia ferventiſſima deſideria Sanctorum Patrum quodammodo collecta & adunata erant; ac velut flammæ exæſtuantes in fornace, ſic erant hæc deſideria in corde ſeraphico Mariæ. Unde puero quem ſacratâ continebat abſconditum alvo, ſæpè hæc ingeminabat cum amore; *Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea.* *In MARIA Virgine omnia SS. Patrum deſideria collecta.* *Pſal. 26.*
Quaſi diceret: O mi Jeſù, Fili uteri mei, Dilecte votorum meorum, Sol, Lux, Vita, & Gloria mea tibi loquitur cor meum, amore te videndi ſuccenſum; omnes illius cogitationes & affectus de te ſunt, in te ſunt; omnia illius deſideria illuc tendunt, ut faciem faciei, oculos oculis, labia labiis, brachia brachiis conjungere valeam, & in ſinu meo palam apparentem adorare & amplecti, totique Orbi te tamdiu expectatum exhibere. O quanto ardore deſiderabat terra virginea florem & fructum ſuum proferre Angelis & hominibus odoriferum! O quanto ardore appropinquante jam partus tempore deſiderabat Maria, tamquam Fons ſignatus, venam aquæ vivæ in ſe clauſam effundere! O quanto ardore avebat parere Solem ſuum mundo tenebris poſſeſſo, ut à Solis ortu uſque ad occaſum generatio veri luminis coruſcaret!

Sed & ipſe Jeſus utero jam tot menſibus clauſus, optabat diem illum nativitatis & manifeſtationis ſuæ, quem Angeli & homines tamdiu expectabant. Optabat è carceris vinculis egredi, & virtutem ſuam quaſi vacantem, & intus coarctatam foris jam omnibus manifeſtam facere. Optabat vocem ſuam jam è ſilentio exaltare, & ſe Verbum oſtendere à Patre miſſum. Quapropter Guarricus Abbas ſerm. 3. de Annunciat. *magnopere admiratur,* *Humilitas Chriſti maxima quod utero clauſus fuit.*
*(& omnes nos ſecum admirari docet) ſummam Dei humiliationem & dignationem in eo quod per tot menſes in utero voluerit deliteſcere, qui mox poterat clauſtra hæc diſſolvere & ſe manifeſtare.* Audi eū hac de re eleganter diſſerentem. *Omnium humanarum infirmitatū vel injuriarū quas pro nobis pertulit dignatio divina, ſicut tempore primā, ſic humilitate ferè maximā exiſtimo, quod in utero cōcipi, in utero no-*

*vem menſibus Majeſtas illa incircumſcripta paſſa eſt contineri. Vbi enim ſic ſe exinanivit, aut quando ita penitus à ſemetipſo defeciſſe viſus eſt? Tanto tempore nihil illa virtus manifeſtum operatur, nullo ſigno viſibili Majeſtas quæ clauſa latet, proditur. Non ſic in Cruce viſus eſt infirmus, ubi quod infirmum illius fuit, ſtatim apparuit fortius omnibus hominibus, quando & moriens glorificavit latronem, & expirans inſpirat Centurionem. In utero autem ſic eſt, quaſi non ſit. Sic omnipotentis virtus vacat quaſi nihil poſſit, & verbum æternum ſub ſilentio ſe premit.* Hæc ille. Nempe hæc eſt natura Verbi quantum in ſe eſt ſe prodere; atque hoc erat Verbi divini deſiderium, quia vehementer cupiebat ſe hominibus communicare, & Patris ſui erga nos propenſam voluntatem declarare: hoc enim erat muneris ſui, de quo Bernard. *Tale erga nos eſt cor Dei Patris, quale nobis expreſſit, qui de Patris corde proceſſit.*

*Natalis Chriſti dies lætitiæ.*

Impleti itaque ſunt dies, & Jeſus ac Maria votis tandem ſuis fruuntur, totuſque ſanctorum hominum & Angelorum cætus; dum ex utero matris proceſſit, tamquam Sponſus de thalamo ſuo, tamquam Sol de tabernaculo & Cœlo in quo novem menſibus celatus fuerat, tamquam Rex de conclavi ſuo Regio, ſplendenti diademate coronatus. Egredimini & vos filiæ Sion, & videte Regem veſtrum, Sponſum veſtrum, in diademate quo coronavit eum Mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. (*Cant. 3.*) Hic eſt dies lætitiæ, quo coronatus à Matre diademate mortalitatis noſtræ, & purpurâ carnis humanæ egreditur Rex pacificus, cujus vultum deſiderat univerſa terra. Hæc eſt corona anni benignitatis ſuæ, cui dum Cœlum cum Angelis applaudit & benedicit, terra quoque cum collibus exultatione accingitur, intuens eum, qui eſt *Deſiderium collium æternorum.* (*Gen. 49.*) O fœlix Caro, quam Chriſtus non quaſi carcerem, ſed quaſi coronam ſibi circumdedit, quæ fuit ornamento, non oneri; Eſt enim non ſolum Regia, ſed & Sponſalitia corona. Hic eſt enim dies deſponſationis, in quo dum humanam naturam ſibi deſponſat cœleſtis Sponſus, ſibique conjungit per unionem perſonalem, ſimul etiam Eccleſiam ut Sponſam ſibi aſſumit per amoris conjunctionem indiviſibilem; ita ut poſt hanc conjunctionē numquam intercedat divortium, numquam detur libellus repudii, numquam Sponſus & Vir abeat viâ longiſſimâ, ſed ſemper cum ſponſa commoretur, cum ea & pro ea laborans, orans, patiens, ſanguinem fundens: ſanguinem in pretium, lavacrum cibum, potum, in dotem & ornamentum ei impertinens, & in finem uſque ſæculi eam protegens, nec deſerens. Hæc eſt deſponſatio, & ſacri nodus amoris, qui inchoatur in Filii Dei Incarnatione & Nativitate, perficietur durante toto curſu mortalis ejus vitæ, ſed maximè apparebit in Cruce, conſummabitur autem pleniſſimè in Æternitate, & ſtatu immortalis gloriæ, triplici, viſionis, tentionis, fruitionis dote. Hæc igitur attendite, hæc in lætitia cordis veſtri ruminate, ô filiæ Sion ô animæ piæ contemplationi deditæ! Hæc enim deſpenſatio vos concernit. O quantus debet eſſe jubilus, & exultatio cordis veſtri, in die lætitiæ Sponſi veſtri! Sed etiam vos, ô Filii Sion cœleſtis, Angelici ſpiritus, qui ſemper intuemini faciem Patris, vos, inquam etiam advoco & invito, ut egredientes, ad nos, videatis novum quod terra noſtra vobis præſtat ſpectaculum, Videte Regem veſtrum in diademate paupertatis noſtræ, in corona qua coronavit eum noviter Mater ſua, & Mater noſtra. Et qui admirantes adoratis egreſſum ejus à diebus æternitatis, è ſinu Patris; admirantes quoque adorate egreſſum ejus in plenitudine temporis, è ſinu Matris.

*Dies deſponſationis.*

*PARS II. De modo parientis & partus qualitate.*

HUnc porro egreſſum deſcribit S. Evangeliſta his verbis: *Maria peperit Filium ſuum primogenitum.* O breve verbum de verbo abbreviato, ſed myſteriis & ſacramentis fœcundum exemplum, exprimens admirabilem effuſionem ſacri uteri de Cœlo pleni, de Spiritu S. fœcundi. Evolvamus hunc partum ſacratiſſimum, evolvamus hunc theſaurum ſecretiſſimum, hoc verborum velamine involutum. Videamus 1. quomodo peperit antequam parturiret. 2. quem, qualemque filium pepererit.

*Quomodo Maria Virgo peperiſſe dicatur.*

Primo, dum dicitur Maria peperiſſe, nulla tibi ſubeat ſuſpicio corruptionis ullius; ſicut enim Virgo concepit virtute cœleſti, virtute Spiritus S. ſic & Virgo peperit fæliciſſimè, puriſſimè, ſanctiſſimè; Virgo mente, Virgo corpore, Virgo voto & profeſſione. Sicut filius ex gremio & ſinu Patris Aeterni proceſſit, ſine ulla genitus corruptione aut impuritate; Sic voluit & concipi & generari ex ſinu & utero Matris ſine ulla corruptione, & impuritate; ut generationi ſuæ æternæ à Patre correſponderet generatio temporalis à Matre. Is ergo qui in Cœlo eſt ex Patre ſine Matre Deus, omnis fons puritatis & integritatis: in terra ex Matre ſine Patre homo eſſe dum dignatus eſt, Matris integritatem non minuit, ſed ſacravit. Quod ſi ſimilitudine rebus à viſibilibus ducta ad hujus rei intelligentiam adjuvari volumus, communis eſt & aptiſſima illa ex Bernardo deducta: *Sicut ſidus radium. Virgo profert filium, pari forma: Neque ſidus radio neque Virgo filio fit corrupta.* Vtique radius puriſſimè procedens à Sole, vel ſidere, non minuit Solis vel ſideris claritatem, ſed auget: ſic filius Matris non minuit integritatem, ſed conſervat & illuſtrat. Quapropter apud Prophetam de ipſo dicitur; *Ecce Vir, Oriens nomen ejus.* Duplicem enim habet Orientem, ſicut duplicem habet generationem, & utramque puriſſimam. A Patre oriens eſt, ut Candor lucis Æternæ; à Matre oriens eſt, ut ſplendor novi ſideris, nobis exurgens in nocte.

*Simile. 1*

*Zach. 6.*

Aliam ſimilitudinem inſinuat ipſe Chriſtus Mariæ Filius Eccleſiæ Sponſus, ſic loquens de ſe *Ego flos campi & lilium convallium.* Hoc nomine quid aliud quam ſuam indicat ſuæque Matris puritatem

*Aliud. Cant. 2.*

illi-

Illibatam? Cur campi ſe dicit florem, non horti? Nempè campus floret ſine adminiculo, non ſeminatus ab aliquo, non foſſus ſarculo, non fœcundatus fimo: Sic intactus & integer Mariæ uterus florem produxit. Cœlum terramque lætificantem odore ſuo: *Germinans germinabit, & florebit quaſi lilium, exultabunda & laudans* dicit Iſaias. Lilium ſymbolum eſt virginitatis & caſtitatis. Unde Veneri lilium fuiſſe inimicum dixere antiqui: Lilium ergo candidum Chriſtus, lilium odoriferum Maria, & ipſa electi radix lilii in lætitia germinans eſt.

*Iſa. 35.*
*Lilium ſymbolũ virginitatis.*

Id præclarè, non tam verbo, quam facto declaravit B. Ægidius S. Franciſci ſocius. Quidam Doctor Theologus Ordinis Prædicatorum, in conſideratione virginitatis Mariæ dum multis ſcrupulis angeretur, ſtatuit adire B. Ægidium, cujus tunc ſanctitatis fama increbuerat, ut tentationes has morbi ſcrupuloſi ejus conſiliis & precibus depellere valeret. Monitus interim à Spiritu Beatus Ægidius de adventu viri illius, & de cauſa adventus, obviat illi cum ſcipione in manu; Moxque appropinquavit, ſcipione terram percutiens, hæc ſolum verba protulit: *Frater Prædicator, Maria Virgo eſt ante partum*; Nec mora, pulcherrimum ibi è terra prodiit lilium. Secundo percutit terram, ſimiliter aiens; *Frater Prædicator, Maria Virgo eſt in partu*; ſic protinus lilium priori ſimile inibi eſt exortum Addit etiam tertiò tellurem percutiens. *Frater prædicator, Maria Virgo eſt poſt partum*; & tertium exinde lilium mox eſt exortum. Nihil ultra proloquens diſcedit B. Ægidius velut fugam capeſſens ut maneret ignotus. At ille qui eum facie non noverat, protinus ſpiritu agnovit; nec dubitavit tria illa lilia fuiſſe ſpecialia beneficia Virginis, fidem de virginitate triplici, quaſi trino nodo in animo antea anxio religantis.

*B. Maria lilium.*

Peperit itaque Maria & germinavit ſicut lilium, & ideo ſine impuritate: germinavit ſine corruptione exultabunda & laudans, & ideo ſine dolore. Quam voluptas non anteivit in conceptu, dolor non eſt ſecurus in partu. Correſpondent enim dolores parientis libidini concipientis. Quam quidem pœnam prima mulier merito ſenſit, quia ſerpenti conſenſit. Quæ fructum alienum cum delectatione præſumpſit carpere, juſtè punita eſt in proprio fructu cum gravi dolore. Sed & hanc pœnam ærumnoſam gravaminis & faſtidii poſt ſingulos conceptus, doloris & anguſtiæ poſt ſingulos partus, tranſmiſit in omnes mulieres; ita ut mulier quælibet quanto fæcundior; tanto ſit ærumnoſior, Sola excipitur Maria ab hac maledictione, benedictionis fructum geſtans, Virgo fœcunda ſine corruptione, gravida ſine gravamine, puerpera ſine dolore. Inter lilia cœleſtia exultans parit ſuum lilium, hoc eſt in medio Angelorum, & laudans dicit non ſolum ſicut Eva pariens ſuum Primogenitum: *Poſſedi hominem per Deum*, ſed dicit: *Poſſedi hominem Deum, illum qui poſſedit me ab initio viarum ſuarum.* Quod ſi non meminit Eva preſſuræ, ſed gaudet quià natus eſt infans in mundum, (eheu neſciebat maledictioni fore obnoxium & fratricidam) quantum gaudium Mariæ ſine preſſura edere filium benedictionis & gaudii omnis in Angelis & hominibus auctorem: Ad Mariam igitur recurrite, ò Matres cum dolore & periculo parientes, ut partùs veſter lucem vitæ, ac per Baptiſmum lucem gratiæ valeat participare; ut & vos periculo valeatis eximi cum incolumitate. Hoc à vobis poſcit ipſa, hoc & docuerunt Viri ſancti. Audite hac de re Hiſtoriam memorabilem.

*M. V. peperit ſine impuritate, & dolore.*
*Gen. 4.*
*Eccl. 24.*
*B. M. V. Patrona in partus periculo. Exemp.*

S. Franciſcus invocabatur in partu à quadam muliere de partibus Aretinis jam per dies ſeptem graviſſimè cruciata, deſperantibus etiam de ea Medicis Voto facto dum obdormiret, apparet ei Franciſcus, & interrogat, an Canticum *Salve Regina* noverit, ad implorandum Deiparæ auxilium? Reſpondet illa ſe Canticum illud plenè noſſe. Jubet igitur ipſe ut cum pietate illud exordiatur, fælicem ſpondens partum, & incolumitatem. Illa experrectâ ad hanc vocem pronunciat Canticum, & mox ubi ad illa verba pervenit: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui*; filium pulchellum edit omni liberata periculo & dolore. Protinus exultans & laudans gratias agit Deiparæ Mariæ, Matri & Reginæ Miſericordiæ, quæ Franciſco interveniente tantam erga ſe oſtenderat pietatem, tantamque benedictionem per benedictum fructum ſuum.

*Bonav. in vita S. Franciſci*

Secundo, videamus quis, qualiſve partus Mariæ; Nec enim S. Lucas ſine myſterio dicit: *Peperit filium ſuum primogenitum.* Ac imprimis non dicit ſimpliciter; Peperit filium, ſed addit, *Filium ſuum.* Quia nimirum de hoc filio futuris ſæculis error duplex erat futurus; utrumque ſacer Evangeliſta prævenit, & præſcidit initio ſui Evangelii. Primus erat Neſtorii negantis Mariam verè eſſe Dei Genitricem. Ob hanc blaſphemiam pertinacem cælitus punitus fuit, Deo in linguam ejus blaſphemam vermes immittente, qui tanquam Carnifices eam mirè torſerunt, ad vindicandam injuriam Matris Dei; unde poſt longos cruciatus miſere in exilio periit. Hic error condemnatur ex verbis Angeli & Elizabeth, Dicit enim Angelus MARIÆ: *Quod ex te naſcetur ſanctum; vocabitur Filius Dei.* Talis agnoſceretur, talis vocabitur publico teſtimonio, à Patre inclamante; *Hic eſt Filius meus dilectus*; à Petro palam confitente; *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, à Martha & aliis. *Vtique Domine ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.* Angelo vero conſonans vox Eliſabeth dicit etiam Mariæ: *Vnde hoc ut veniat Mater Domini mei ad me?* Ergo Maria verè Mater Dei eſt, quia Mater illius qui à primo conceptionis ſuæ inſtanti fuit Deus, per concurſum maternum concepit de ſua ſubſtantia corpus illud, cui eodem inſtanti anima, & divinitas unita fuere; hoc ſufficit ut propriè dicatur *Mater Dei*, concipiens & pariens Deum Hominem. Procul ergo

*3. Memb. 2. Patris quis qualiſve partus Mariæ.*
*Neſtorii blaſphemia.*
*Luc. 1.*
*Matt. 17.*
*Matt. 16.*
*Ioan. 12.*
*Luc. 1.*

vox maledica Mariam negans Deiparam : nam
quæ peperit filium ſuum , peperit Altiſſimi Fili-
um, & illum fecit ſuum. Alter error fuit Valenti-
ni , & aliorum negantium Chriſtum de ſubſtantia
Virginis ſibi corpus ſumpſiſſe, ſed è cœlo , vel ele-
mentis, ac ſolum tranſiſſe per Virginem, velut per
canalem. Hic error verbis noſtri Evangeliſtæ re-
*Error Valentiani.*
probatur, manifeſtè & ſignatè dicentis : *Peperit*
*Maria Filium ſuum.* Utique non ſolum Filium
Altiſſimi, ſed & ſuum, ſicut Patri conſubſtantialem
in divinitate , ita & Matri conſubſtantialem in hu-
manitate. Peperit illum , non ex corpore aliquo
cœleſti , aut elementari , aut aliunde formatum;
ſed ex ſuæ carnis materia productum, ideoque ve-
rè filium ſuum. Imò magis Filius hic ſuus eſt,
quam Filius Matris cujuſcumque à propria Ma-
tre ſuus dici poſſit : quia cùm totam ſubſtantiam
aliæ matres non dent proli , ſed maximam partem
Pater ; illa huic filio totalem dedit carnis ſubſtan-
tiam, ſine Patre. Atque ſicut ſuus eſt hic filius ſpe-
ciali miniſterio totius ſubſtantiæ , ita ſuus ſpecia-
liter eſt affectu ſingulari & amore. Plus enim dili-
git filium hunc, quam ulla mater ſuum ; quia cùm
patris & matris munus ſola obierit , patris ſimul
& matris amorem & affectum impertit. Unde hæc
illi vox amoris & teneritudinis plena convenit po-
*Prov. 31.*
tiori ratione, quam matri Salomonis : *Quid dilecte*
*mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte votorum meo-*
*rum* ? Plures igitur ob cauſas ſpecialiter dicitur de
ea ; *Peperit filium ſuum.* Primò , *Filium ſuum,* ſpe-
ciali Patris Æterni dono , qui cum MARIA Filium
voluit habere indiviſum. 2. *Filium ſuum,* ſpeciali
virginitatis merito , quæ humilitati conjuncta,
quaſi nardus dedit odorem ſuum , & Filium ab
Æterni Patris attraxit accubitu. 3. *Filium ſuum,*
carnis ejus tota materia miniſtrata. 4. *Filium ſuum,*
enixa eſt deſiderio. 5. *Filium ſuum* , ſpeciali af-
fectu & amore materno: *Dilectus meus mihi, & ego*
*illi.*

*Chriſtus cur primogenitus.*
Sed cur dicitur : *Peperit Filium Primogenitum.*
An fortè alios ultra utero ſuo circumdedit ? Quod
ſi ſolùm hunc ( qui millenis aliis excellentior eſt)
an non meliùs diceretur , *Unigenitum ſuum* pepe-
riſſe? Huic quæſtioni olim reſpondit MARIA S.
*MARIÆ S. Gert. lib. 4. Inſinuat. c. 3.*
Gertrudi Virgini. Quodam enim die Nativitatis
cum B. Gertrudis audiret in Miſſa illud de Chriſto
cani ; *Primogenitus Virginis Matris,* conſiderationi
ſacrorum verborum horum intenta, cogitabat cō-
gruentius dici ; *Unigenitus Virginis Matris* , quia
intemerata Virgo nullum alium genuerit , præter
illum quem de Spiritu S. meruit concipere. Cùm
verò in hac cogitatione hæreret, adfuit ei B. Virgo
blandâ ſerenitate reſpondens ; *Nequaquam Unige-*
*nitus , ſed congruentiſſime Primogenitus dulciſſimus*
JESUS *meus, quem primum clauſo utero procreavi: &*
*poſt ipſum imo per ipſum, omnes ipſi in fratres , mihi*
*in filios materna caritatis viſceribus adoptando gene-*
*ravi.* Proprerea inter titulos honorificos qui MA-
RIÆ ſolent adſcribi, non ſolum Mater Chriſti dici-
tur ſed & Mater electorum, & Filiorum DEI : *Ego*
*Mater pulchræ dilectionis , & agnitionis , & ſanctæ* *Eccl. 24.*
*ſpei* inquit ipſa, vel Eccleſia de ipſa. Matris nomen
*MARIA Mater Electorum tribus ex cauſis.*
alicui ſolet attribui , vel quia genuit, vel quia ma-
ternam exhibet curam, vel quia, affectum verè ma-
ternum declarat triplici hoc titulo MARIA. Mater
eſt electorum. Ac primo quidem titulo, quia cum
Chriſtum genuerit , electos quoque genuiſſe cen-
ſetur , qui ſunt myſtica Chriſti membra. Illorum 1.
ergo Mater eſt, quæ Chriſtum peperit, in quo tam-
quam in capite, cæteri electi continebantur. An nō
Rebecca utero continens Jacob & Eſau, capita du-
plicis populi, hoc pro reſponſo audit : *Duæ gentes,* *Gen. 38.*
*& duo populi in utero tuo ſunt.* Sic Ambroſius de
Virgine explicat illud: *Venter tuus ſicut acervus tri-* *Cant, 7.*
*tici vallatus liliis.* Chriſtus unum tritici granum
fuit in utero Virginis à Patre æterno ſatum, dicitur
tamen acervus , quia virtute omnes continebat e-
lectos. Secundo etiam titulo Mater eſt, quia curam 2.
maternam electis exhibet , eorum condolens mi-
ſeriis , ſaluti eorum totam ſe impendens. Tertio 3.
denique titulo Mater eſt, quia eos diligit pluſquam
ulla mater ſuum filium , nec illorum poteſt ob-
liviſci : quos ſpiritualiter peperit, & in finem uſ-
que ſæculi paritura eſt , tamquam membra myſti-
ca Filii ſui. Ideo forſitan illa mulier ſtellis corona-
ta, & Sole amicta ( quæ *ſignum magnum* dicitur , & *Apoc. 12.*
Virginem deſignat ) aſſeritur cruciari ut pariat quia
magno & prægnanti deſiderio ac ſollicitudine cū
animi quadam compaſſione urgetur ad partu-
riendum ſpiritualiter hæc myſtica Filii ſui mem-
bra , & quodam clamore valido cordis ad Deum
conatur fugare draconem , huic generationi filio-
rum electorum inſidiantem. Itaque omnes electi
& membra ſunt , & fratres Chriſti ; ille tamquam
Primogenitus Patris & Matris , hi tamquam ſe-
cundò geniti ejuſdem Patris & Matris : *Elegit nos* *Rom, 8.*
*conformes fieri imaginis Filii ſui , ut eſſet primogeni-*
*tus in multis fratribus.* De illo igitur hic ſpecialiter
mentio fit, dum dicitur: MARIA *peperit filium ſuum*
*primogenitum.*

Addo , quod hoc titulo indicatur dignitas Filii
*Chriſtus vere primogenitus.*
hujus inter fratres. Primogeniti enim olim mu-
nus erat cæterorum fratrum curam habere, illis
portionem impertiri , illis præeſſe , illis benedi-
cere, quia ſacerdotium primogenituræ erat anne-
xum. Hæc omnia reperiuntur in Chriſto primo-
genito Virginis Matris ; ille enim curam habet
noſtri tanquam fratrum ſuorum , ipſe nos paſcit
frumento paternæ domus. Ipſe ſua in hæreditate
partem nobis impertit , & quidem duplicem por-
tionem tamquam fratribus ex utroque parente
(*ſicut Joſeph Benjamino* ) viſionem ſcil. divinitatis *Gen. 43.*
& humanitatis , quæ continet duplicem tam cor-
poris quam animi beatitudinem. Angelis qui fra-
tres tantùm ſunt ex parte Patris ( tamquam Filii
DEI, ſed non filii MARIÆ ) talis portio non com-
petit. Denique , tamquam Primogenitus ipſe nos
benedixit omni benedictione ſpirituali , & à Ma-
tre

Gen. 17.

tre veſtibus optimis primogenituræ & ſacerdotii (*ſicut Iacob à Rebecca*) circumamictus, mox ubi genitus fuit, ſacrificium fragrantiſſimum Patri æterno obtulit, ut benedictionem omnigenam non ſolum ſibi, ſed & fratribus impetraret. Ideo de Matre adjicitur, quod filium mox ubi peperit, pannis involvit, & in Præſepio reclinavit. Panniculi veſtis extima ſunt; caro virginea quam aſſumpſit, veſtis eſt intima noſtri Sacerdotis & Primogeniti fratris; Præſepium ara eſt primi ejus ſacrificij. Sed hoc mox plenius in ſequentibus explicabitur.

Pars IV. *Quæ circa infantem mox à partu geſta.*

*1. M. V. filium natum mox adoravit.*

TErtiò, videamus quomodo circa puerum, quẽ peperit, Beata hæc Genitrix ſe geſſerit: non enim pauca involvit hæc pannorum involutio, & multa continet auguſta hæc præſepis anguſtia. In primis non eſt dubium, quin Mater ab Angelo prius de Filij dignitate edocta, protinus ubi peperit, partum ſuum agnoverit ut Dominum, adoraverit ut Deum. Unde in revelationibus S. Brigittæ ſic partus hic deſcribitur. *Virgo genu flexa adorabat adorientem, manibus & oculis in Cœlum quaſi in quadã extaſi cum dulcedine rapta. Cumq; pro partu edendo fudiſſet preces illico in momento, in ictu oculi, filium ante ſe vidit editum, ſentiens quaſi dimidium cordis ſui exiſſe, ex quo prodibat ſplendor eximius, & prope eum pellis ſecundina mundiſſima & involuta: ejus etiam carnes ab omni ſorde pura; auditusq; eſt ſuaviſſimus Angelorum cantus, & ſtatim junctis manibus, & inclinato capite adoravit ſummâ humilitate, pannisq; involvit.*

*1. Adorarunt eum Angeli.* — Heb. 1. — Pſal. 3.

Quod porro hic de Angelis dicitur adorantibus: conforme eſt Apoſtolo: *Et iterũ cum introducit primogenitum in orbem terrarum, dixit; Adorent eum omnes Angeli ejus.* Quidni adorarent eum, ad quem Pater dicit: *Ego hodie genui te?* Quem genuerat in æternitate ſplendorem ſuæ gloriæ, imaginem ſuæ ſubſtantiæ; nunc novo quodam modo genuit in tempore ex matre, caput non ſolum humanæ, ſed & Angelicæ naturæ: & ideo laudant aſtra matutina, jubilant omnes filij Dei: adorant omnes Angeli ejus; agnoſcentes caput ſuum, Regem & Dominum ſuum: Adoravit quoq; Maria, adoravit & Joſeph Mariæ Sponſus, Chriſti Nutritius; & impletum eſt ex parte, quod de ſe in perſona & figura Chriſti, olim dixerat alter Joſeph filius Jacob: *Vidi per ſomnium quaſi Solem & Lunam & ſtellas undecim adorare me.* Nam ut ait S. Ambroſius l. de Joſeph c. 2. *Quis eſt ille quem parentes adoraverunt ſuper terram, niſi ſolus Ieſus, quando eum Ioſeph & Maria & diſcipuli adoraverunt! De quo ſolum dictum eſt, Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen* Hæc Ambr. qui ſicut non reperit alium præter Chriſtum qui adoretur à parentibus; ſic nec familiam alteram in qua Sponſus eſſet quaſi Sol, & Mater Luna, Fratres Stellæ, niſi familiam Chriſti.

*3. Ioſeph etiam adoravit.* — Gen. 37.

*Olim adorarunt David & Iacob nõ-*

Hunc quoque puerum ex ſua ſtirpe oriundum olim in ſpiritu adoravit David Rex, adoravit & Jacob. David quidem dicens de eo, & de humanitate ejus tamquam arca ſanctificationis: *Invenimus eum in Ephrata* (id eſt in Bethleem, quæ etiam Ephrata nominabatur) *adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus.* Jacob autem, quia de eo dicitur: *Adoravit Iſrael Dominum, converſus ad lectuli caput.* Quare ad lectuli caput converſus adorat? Quia caput lectuli ejus reſpiciebat Orientem, & erat verſus terram promiſſionis, Reſpiciebat ergo Bethleem in qua oriri debebat is, cujus nomen eſt Oriens, & jam adorabat eum quaſi in imagine, in lectulo primo præſepij jacentem, Reſpiciebat & Jeruſalem, & Crucis alterum cubile, in quo debebat occumbere; adjurabatq; filium attacto femore carnis ſuæ, ex qua debebat puer hic oriri, ut ſepeliretur in illa terra, quam veſtigijs ſacratiſſimorum pedum ſuorum, & ſanguinis ſui rore debebat ſanctificare. Nec diſſonat Apoſtolus, qui ſecutus verſionem ſeptuaginta Interpretum, non dicit quod adoraverit Dominum, ſed quod adoraverit faſtigium virgæ Joſeph. *Fide*, inquit, *Iacob moriens ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adoravit faſtigium virgæ ejus*, hoc eſt ſceptri, quod in ſignum poteſtatis ſibi a Rege datæ gerebat. Sed rectè S. Chryſoſt. hoc explicans, dicit: *Adoravit Chriſtum in typo ſuo.* Quia ſceptrum illud Joſephi poteſtate floridum & Virga illa Regia illi velut typus repræſentabat Virgam, quæ è radice Jeſſe florem debebat producere. Ideo hunc florem ortum in Bethleem adorabat, dum faſtigium Virgæ dicitur adoraſſe, & ſic Dominum adoraſſe dicitur. Immò & Crucem Domini adorat in ſceptro Filij ſui, quia illa ſceptrum eſt, & *Virga virtutis*, per quam Regiam ſuam poteſtatem Chriſtus manifeſtare debebat. Et faſtigium hujus Virgæ ſpecialiter adorat, in quo nomen adorandum inſculptum prævidebat: Jesus *Nazarenus Rex Iudæorum.*

*dum* — Pſal. 131. — Gen. 47. — Heb. 11. — Pſ. 109.

Itaq;, quem antiqui olim in ſpiritu adorârunt ex ſua ſtirpe oriundum, Joſeph Maria adorant contemplantes jam ortum. Et ſicut olim duo erant Cherubin, ex utraq; parte Propitiatorij & Arcæ extendentes alas, ſeſeq; mutuò & illud reſpicientes. Sic erant Maria & Joſeph adorantes & contemplantes Propitiatorium divinitatis in arca humanitatis. Et quidem Maria adeo ſublimi elevata fuit tunc temporis contemplatione Filij ſui, ut quidam pie exiſtiment, etiam ejus divinam eſſentiam clarè in raptu vidiſſe. Hoc enim congruum videri poteſt dignitati tantæ Matris, amoriq; Filij, quem exhibere debebat Matri, ut ſcil. Filium ſuum perfectè intueretur, ut agnoſceret non ſolum ut hominem ſed etiam ut Deum; quia & faciem videre divinam in eo ardentius deſiderabat, quam umquam Moyſes, aut quiſpiam alius, Sed quicquid ſit hac de re; certum eſt illi clarius innotuiſſe myſterium hoc divinum, quam ulli umquam Sanctorum. Et ideo ſi de ſe S. Paulus dicit, quod raptus ſit in tertium Cælum quodq; audiverit arcana verba, quæ non licet homini loqui, edoctus ſcil. ab ipſomet Deo de ineffabilibus myſterijs ſuis; idem aſſerendum de Mariâ Apoſtolorum omnium Illuminatrice & Magiſtra;

*Figura.* — Exod. 37. — *M. V. An clarè divinam in Filio eſſentiam viderit.* — 2. Cor. 12.

altiſſima ſcil contemplatione ſui Filij, ab eo inſtructam fuiſſe ultra omnes Apoſtolos de myſterijs omnibus; & cordis nutibus percepiſſe ineffabilia, & arcana quæ non licet homini loqui. Ideo MARIA adorans, nullum legitur protuliſſe verbum, ſed Patris æterni Verbum adorat in ſilentio, conferens in corde ſuo omnia quæ vidit cœlitus, quæ audivit humanitus, quæ ab Angelo, quæ ab hominibus, quæ à Deo percepit. O ſilentium ſublime & profũdum! O ſilentium myſterijs & Sacramentis plenũ! O ſilentium in auribus DEI ſonorum! *Tibi laus, ſilentium,* DEUS *in Sion.* Silentium MARIÆ adorantis, ſilentium Joſeph admirantis, laus eſt cælos penetrans, laus in auribus tuis ſonans, & æternæ generationis tuæ ſilentium arcanum honorans. O DEUS! Et ideo non ſolum in Sion, ſed etiam in Bethleem tibi laus eſt Joſephi & MARIÆ ſilentium, dũ cor MARIÆ ſacrarium fit myſteriorum admirabilium, illa conſervans, illa conferens, illa admirans, conſiderans Deum in carne ita exinanitum; ita humiliatum ex amore erga ſalutem hominum.

*Sic legit S. Hieron. initium. Pſal. 64.*

***Pannis involvit, & in præſepio reclinavit.***

*M.V. filiolo nato ut mater humillima ſervit*

POſtquam Virgo Filium adoravit, mox ei materna officia exhibuit, pannis involvendo, vagientem lactando, in præſepio reclinando, quia non erat locus in diverſorio. Quidam ex antiquis Patribus introducunt quaſi hærentem MARIAM: & ambigentem quid officij debeat Infanti impendere. Indignam ſe reputabat puerum divinum jam natum vel attingere, vel nutrire, ubiq; Virgo humilis. Sic S. Baſilius introducit, eam loquentem; *Quid aggrediar? Te ne lacte nutriam, an vero ut Deum colam? Tibi-ne maternum præſtabo obſequiũ, an ſicut Ancilla cultum adorationis impendam? Te ne ut filium amplexu meo fovebo, an jugiter ſupplex invocabo? Tibi ne lac porrigam, an thymiama offeram?* Et S. Aug. ſic eã quaſi cunctantem alloquitur & hortatur: *Lacta, lacta, o Virgo Beata, Lacta* DEUM *tuum, Creatorem tuum, præbe lambenti mamillam, ut pro te percutienti præbeat maxillam, panem Angelorum refice ubere de cælo pleno. Nempe is qui ſemen Abrahæ apprehendit, voluit per omnia fratribus aſſimilari, etiam in infantia infimis miſeriis, voluit novem menſibus in utero hærere, vagiendoq; ut cæteri exire, infaſciari, lactari, brachiis portari, in cunis reclinari: Nihil ergo hæreas, o ſacra Virgo, hæc omnia humilia obſequia circa* DEUM *infantem exhibe; hæc à te ipſe depoſcit, noli ex humilitate te indignam cenſere nec exiſtimes illi hæc indigna eſſe. Qui te elegit ut Genitricem, elegit & gerulam, elegit & nutricem. Qui Vir dignabitur pro nobis denudari aceto potari, in patibulo extendi; infans non dedignatur pannis involvi lacte refici, in præſepio reclinari.*

*Baſil. Solen. Orat. de Incar.*

MARIAM itaq; pannis infantem involviſſe, Evãgeliſta certum facit; Lacte vero aluiſſe non exprimit, ſed Eccleſia id teſtatur: *Præſepe non abhorruit; parvoque lacte paſtus eſt, per quem nec ales eſurit;* indicat etiam idipſum vox illa mulieris Evangelicæ: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* Atq; in uberibus his MARIÆ de cœlo plenis deſignabantur & ubera ejus ſpiritualia, quibus nos omnes filios ſuos debebat lactare. Unde Richardus Victor. in Cant. p. 2. c. 23. ſic eam alloquitur; *Carnalia in te ubera ſuxit Chriſtus,* O MARIA; *ut ſpiritualia per te nobis fluerent. Et cum miſericordia* DEI *ſit ab æterno, amplior cœpit eſſe ex tempore. Et cum ex te cœpit initium, ejus quoq; largitas per te ſumpſit augmentum. In te ergo concrevit lac divinæ miſericordiæ & ex te nobis profluxit. Ipſa prius repleta es, & ex te nobis deſcendit abundantia* Hæc ille: Interim vide quomodo is qui olim dicebat: *Ego quaſi Nutritius Ephraim portabam eum in brachiis,* nunc vult portari, & ali, & ad ubera pendere cum hominum & Angelorum admiratione & ſtupore. Sic etiam paupertatem dedicans in corpore ſuo Infans divinus, pannis paupertatis dignatur involvi à paupere matre, & reclinari in fœno, qui à Patre decorem indutus, amictus lumine ſicut veſtimento, effulget in cœlo. Sic cum lacrymis & vagitu in nocturnis tenebris nudus & imbellis de Matris utero procedit, qui initio diei, cum eum laudarent aſtra matutina, & jubilarent Filij Dei, oſtendens potentiam ſuam, *concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulva procedens, & poſuit nubem veſtimentum ejus, involvens quaſi pannis infantiæ.* Sic is cui nomen eſt, *Brachium Domini,* cui dicitur per Prophetam, *Cõſurge, conſurge induere fortitudinem brachium Domini, numquid non tu percuſſiſti ſuperbum vulneraſti draconem?* Ipſe, inquam, faſciolis vult colligari, ut diſperdat ſuperbos mente cordis ſui, & diſſolvat colligationes impietatis, & vincula colli noſtri. Sic Adam ſecundus vult vilibus pannis contegi in ſtabulo ut tegat nuditatem probroſam Adæ primi cõtractam in Paradiſo; & ei immortalitatis ſtolam reſtituat finito exilio. Accede Adam, ut intuearis pro pius Infantis hujus veſtem, ut audias & vocem; diſſolve perizomata ficus; cum adhuc eſſes ſub ficu vidit te, condoluit ſuper te, indumento novo gratiæ & gloriæ etiam ex tunc propoſuit iterum veſtire te, pro te veſtiendus ipſe pannis infantiæ. Accede ergo, en iterum dicit *Adam ubi es,* & quærit te in ſtabulo, in jumentorum diverſorio, quia cum in honore eſſes in paradiſo, non intellexiſti, ſed comparatus es jumentis inſipientibus, & ſimilis factus es illis. Accede, nec amplius dicas, *Vocem tuam audivi, & abſcondi me.* Vox enim ejus ſuavis eſt, non fulgurans aut tonans; vox index compaſſionis, quia juncta lacrymis. Non amplius Leo rugiens eſt, ſed mutus & mitis Agnus eſt, vellere virgineo nunc circumdatus, pro te poſtmodum immolandus. Nõ amplius *Ignis conſumens eſt Dominus Deus tuus;* hoc paltea in qua jacet, oſtendit, quæ non conſumitur. Accedat quilibet Adæ filius qui offendit; quia inſtar infantium facilè placatur, & offenſam remittit. *Non erit turbulentus & triſtis,* quia facies ejus decora & amabilis. Vox ejus tenera eſt & cõpatiens,

*Luc. 11.*

*Oſea 11.*

*Iob. 38.*

*Iſai. 51.*

JESUS *faſciis involvitur, ut reddat Adæ primam ſtolam,*

*Invitantur cum Adamo omnes.*

*Gen. 3. ad videndũ.* JESULUM *natum.*

*Iſa. 42.*

patiens, ſi & illi tu compatiaris, & tibi. Vox eſt miſericordiæ & pacis: *Non clamabit, neque vox ejus audietur foris, calamum quaſſatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Lenis ſcil. eſt vox ejus, ut neminem loquendo terreat, lenis greſſus, ut neminem calcando conterat, lenis ſpiritus oris ejus, ut neminem exſufflando extinguat. Veniet dies, in qua qui modo in die ſalutis Infans amabilis gratiam offert & miſericordiam, vindictam reſumet & juſtitiam. Vir omnino terribilis. Tunc oculi ejus erunt *quaſi flamma ignis*, iræ & furoris indices.
*Apoc. 1.* Tunc vox ejus *quaſi vox aquarum multarum*, impetu ſuo devolvens impius in abyſſum. Tunc *ex ore ejus gladius utraq; parte acutus* exibit; animas eorum & corpora internecioni daturus: Tunc *pedes ejus ſimiles erunt auricalcho in camino ardenti*, reprobos in flammis æternum calcaturi. Audiamus ergo modo vocem blandam invitantis miſericordiæ, ne cogamur experiri vocem & dexteram intolerabilis juſtitiæ. Obſecremus, & obteſtemur Dominum Jesum ad ejus pedes ſupplices; per ſacram ejus infantiam, per carnem virgineam, quam pro nobis aſſumpſit, per lacrymas quas infans fudit, per lac & materna ubera quæ ſuxit, per panniculos & faſciolas, quibus involvi voluit, per præſepium & fœnum in quo jacuit, per omne quod in Nativitate ejus ſacrum eſt & pretioſum, ut perditam nobis reſtituat gratiam, ut peccatorum omnium impertiatur veniam, ut in ſanctam nos reducat innocentiam & infantiam: ut Nativitatis ejus merito in novam geniti creaturam, novo corde, novo ſpiritu ei ſervientes, æternæ regenerationis gloriam conſequamur.

*Exempl.* PRæclarum nobis hac in re ſuppeditat exemplũ, quod imitemur in hac ſacra Nativitate, mulier
*Pelbart. ſer. 18. de Nativit.* illa peccatrix, de qua Petrus de Natalibus Epiſcopus mentionem facit in legenda de Natalibus Domini, & alij ſacri Scriptores. Quædam Monialis relicta ſuâ profeſſione, & ſanctâ ſocietate clauſtrum egreſſa, ætatis florem quem Deo debuerat offerre, in carnis immunditijs per fornicationes promiſcuas contriverat. Tandem rediens ad cor; & ad clauſtrum, cogitabat vias ſuas, & enormitatem vitæ ſuæ coram Deo & cœlo fœtentem. Sed adeo anxiè hæc conſiderabat; ut diffidentia quædam de venia ſeſe interſereret: eratq; ipſa velut calamus quaſſatus confractioni proximus, velut linum fumigans extinctioni appropinquans; hoc eſt deſperationi erat vicina, ſcelerum enormium pondere prægravata, & quocunq; verteret aciem conſiderationis, nuſquam reperiebat micam conſolationis. Si de cælorum regno ſubiret cogitatio, inveniebat ſe indignam, cum nihil coinquinatum in illud intret; ipſa vero agnoſcebat ſe tamquam jumentum computruiſſe in ſtercore ſuo. Si de judicio cogitatio incideret, inveniebat ſe millies ream. Si de inferno, jã damnationis ſuper ſe pronunciabat ſententiam, tot flagitijs commeritam. Si de paſſione Domini iniret conſiderationem, intuebatur ſe illi ingratam; quod vita impia & ſpurca ſanguinem Domini quodammodo conculcaſſet, & Filium Dei iterum crucifixiſſet. Quid igitur huic animæ quaſſatæ undique poterat eſſe ſolatio vel refugio, ſi Domini paſſio, eam potius angit quàm ſolatur? Tandem cogitatũ ſuum convertens ad beatam infantiam Salvatoris, cœpit reſpirare. Conſideravit enim medullitus viſcera pietatis ejus, conſideravit infantes quamlibet offenſos, facilè placari, & manum porrigere & animum, utpote ſine felle amaritudinis, ſine aculeo ultionis. Perfectâ igitur cordis compunctione lacrymas ei ex oculis ciente, converſa eſt ad rigandos in ſpiritu pedes Jesu infantis benigniſſimi, coram imagine B. Mariæ puerum ſinu geſtantis. Et ita, per infantiam ſuam, per viſcera miſericordiæ in quibus viſitavit nos ex alto, per vagitus & lacrymas pietatis eum obteſtans & adjurans, pro obtinenda peccatorum venia, meruit audire vocem cœlitus, qua de eorum remiſſione, & gratia Dei adepta certa & ſecura reddebatur.

LOngè a priori diviſum eſt, quod Guilielmo Comiti Juliacenſi contigiſſe referunt hiſtorici. *Aliud exemplum*
Hic in adulterio & alijs carnalibus vitijs vitam flagitioſam ducebat: frequenter verò à viris pijs & eruditis monebatur, ut tandem finem imponeret carnali huic & ſcandaloſæ vi[illegible]; ſed pravæ conſuetudinis quodam quaſi ju[illegible]nperio preſſus peccata peccatis cumulabat. [illegible]us vero eſt Dominus ultra has hominum moni[illegible]nes; cæleſtem ei exhibere monitionem: nam in feſto Nativitatis Domini in tribus Miſſis cœlitus ei inſonuit melodia cœleſtis & Angelica, quâ monebatur cæleſtem voluptatem carnis præferre ſpurcitijs, & ad Deum redire, vitamq; emendare. Sed & iſtud divinũ monitum neglexit. Quapropter poſtmodum in via *Coſtorus in Dom. 60. ex Cæſario & alii.*
Coloniam verſus in gremio concubinæ miſere ſine Sacramentis expiravit, & in abyſſum æternam relegatus eſt, ut etiam pijs quibuſdam tunc revelatum fuit. Multi verò huic non abſimiles ſunt, qui licet cæleſtem harmoniam miraculo ſpeciali exterius in feſtis Nativitatis Domini non audiant audiunt tamen vocem Domini intus reſonantem; & ad vitæ emendationem eos invitantem: audiunt vocem Eccleſiæ, audiunt vocem eorum qui Chriſti, & Angelorum locum tenent, & miniſterium obeunt. Interim nec exterioribus Eccleſiæ in hac ſolennitate vocibus & cæremonijs, nec interiorib. Chriſti vocantis monitis aurem parant, & obediẽtiam: ideo tandem impletâ menſurâ peccatorum infœliciter ſine pœnitentia abripiuntur & in æternas pœnas devolvuntur.

† †
†

LECT. 3. tripartita

## EODEM FESTO.

*Evangelizo vobis gaudium magnum. &c.* Luc. 2.

PARS I. ¶ *De diligentia fidelis animæ quærentis Ieſum, & reſponſo gaudium magnum nuntiãte Cant. 3. Eccleſia Vigiles triplices.*

NOn eſt ab hoc myſterio Nativitatis JESU cœleſtis Sponſi alienum, quod ſponſa ſacris in Canticis dicit, ſe hunc dilectum per noctes quæſiviſſe in lectulo ſuo, nec inveniſſe; ſe ſurrexiſſe, & per vicos ac plateas eum quæſiviſſe, nec inveniſſe ſe inventam fuiſſe ab his qui vigiles cuſtodiunt civitatem, & eos interrogaſſe: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Quinam ſunt hi Vigiles & Cuſtodes civitatis, quos Sponſa, hoc eſt anima fidelis de dilecto ſuo interrogare poteſt, quique ei aliquid de eo nuntiare poſſunt? Dicamus triplices eſſe vigiles civitatis Dei, hoc eſt Eccleſiæ, qui à Sponſa interrogandi ſunt de adventu Sponſi ſui. Primi vigiles ſunt Prophetæ. Hi enim in ſpecula conſtituti, inſtar vigilum & cuſtodum, proſpiciunt à longè quæ huic civitati Dei obventura ſunt vel periculum, vel auxilium. Secundi vigiles ſunt Angeli. Hi enim etiam vigilant & cuſtodiunt Eccleſiam, & de his potiſſimum verum eſt illud: *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, totâ die & nocte non tacebunt laudare nomen Domini.* Hi nempe ſine intermiſſione nocte dieque laudant Regem & Structorem civitatis hujus, & muros ejus vigilantiſſimè cuſtodiunt. Tertij Vigiles ſunt Paſtores, quibus dicitur: *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael; audiens ergo ſermonem ex ore meo annunciabis eis, &c.*

*Iſai. 62.*

*Ezech. 33*

*1. Vigiles Propheta.* Primo itaque, ſi Sponſa vicos & plateas hujus civitatis circumiens, primos Vigiles interroget: *Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Reſpondent illi, ſe eum vidiſſe; & alij quidem à longe, alij propius viderunt, & ideo de eo poſſunt aliquid nuntiare, Interroga Iſaiam: *Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte?* Eſt-ne adhuc duratura diu nox? Abeſt-ne longè is qui lucem afferre, debet, & tenebris finem? Reſpondet ex parte DEI: *Venit nox & mane, ſi quæritis quærite, convertimini & venite.* quaſi dicat: Naſcitur in nocte ille quem quæritis, & noctem illam facit lucidam inſtar mane, radios ſpargens inſtar Solis in aurora ſua, in matutino tempore: ſi ergo eum quæritis diligenter itineri vos accingite, venite, & invenietis. *Etenim parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cujus Principatus ſuper humerum ejus.* Iſaias igitur & alij Prophetæ, per ſpiritus prænotionem myſteria Chriſti futura quaſi præſentia intuentur, & annuntiant; & ideo hi ſunt vigiles, qui de Sponſo aliquid Sponſæ valent indicare.

*Iſai, 21*

*Iſai. 9.*

Sed tranſeat Sponſa primos Vigiles & Cuſtodes, & ad ſecundos (quos Angelos eſſe diximus ſermonem convertens, interroget eos: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Utique viderunt eum venientem, ideo gloriam Deo decantant. Comitati ſunt in templo ſe offerentem, in Ægyptum euntem, ex Ægypto redeuntem; nam Angelus tempus eundi & redeundi Joſepho indicavit. Audierunt & viderunt in templo docentem, in triduo illo miniſtrantes ei, cum quærebatur à Matre. Viderunt in deſerto jejunantem, & illo peracto acceſſerunt obſequium deferentes. Viderunt in horto, viderunt in cruce, viderunt in Reſurrectione & Aſcenſione, vident totâ æternitate. Dicite ergo ô Angeli, ô Vigiles & Cuſtodes civitates Dei, dicite Sponſæ ardenti deſiderio per Vicos & plateas eum quærenti, quo loco poſſit eum certò reperire, ut amplectatur, teneat, nec dimittat. Nam ex ore quidem primorum Vigilum audivit Parvulum ſuum Sponſum natum eſſe, ſed illi locus non eſt deſignatus. Quid reſpondent Angeli? Remittunt eam ad tertiam cuſtodiam, ad tertios Vigiles, & dicunt hos à ſe jam informatos plenè, ut eam & ipſi pleniſſimè informent de Sponſo ſuo.

*2. Vigiles Angeli.*

*3. Vigiles Paſtores.* Tranſi igitur, O Sponſa, ad poſtremos hos vigiles nuncium certum acceptura, & interroga eos: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Quaſi dicat: Dicite mihi ô Paſtores, de dilecto meo quæcumque noſtis. Ubinam recumbit ipſe? Numquid eum vidiſtis? Cui illi. Utique *ſicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri:* Vidimus eum, adoravimus, obſequium obtulimus Sed quid audiviſtis de eo, aut quis vobis eum indicavit? Audivimus ab Angelo claritate Dei circumfuſo: *Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David.* Sed quod ſignũ dedit vobis, ut inveniretis eum? *Invenietis infantem pannis involutum poſitum in præſepio.* Hoc nobis ſignum dederunt. Sed quale iſtud ſignũ eſt? Numquid nimis citò fuiſtis creduli, Numquid poteratis nimiâ ſimplicitate decipi? Abſit: quia hoc ſigno dato, *ſubito facta eſt cum Angelo multitudo cæleſtis exercitus cantantium & laudantium.* Quid verò audiſtis eos cantantes? Cantabant; *Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quid deinde vos feciſtis deſcendentibus Angelis? Diximus invicem; *Tranſeamus uſque Bethleem & videamus verbum hoc quod factum eſt,* Quid inveniſtis in Bethleem? Invenimus MARIAM & Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio, & cognovimus de verbo hoc quod dictum nobis erat de puero. Quid poſtremò peregiſtis? Reverſi ſumus glorificantes Deum, & ad laudem ejus omnes adhortantes, enarrantes gaudium illud magnum. Hæc eſt ſumma Evangelicæ narrationis.

*Pſal. 47.*

*Luc. 2.*

Itaque Paſtorum eſt (qui in his Paſtoribus ſuper gregem vigilantibus ſunt deſignati) Nativitatis Jeſu gaudiũ animæ meæ cuilibet fideli annunciare ut eum quærat, non in lectulo voluptatis jacendo, non per vicos & plateas ſæculi exerrando: ſed cuſtodiendo vigilias noctis, ſed ingrediendo in ſolitudinem cordis, ſed cum ſimplicitate & humilitate

litate adeundo per Angelicum ductum præſepium Salvatoris. Lectulum floridum Sponſi cœleſtis. Illorũ munus eſt myſterium ſibi ab Angelis propoſitum, angelico ſpiritu, angelico zelo, angelico gaudio, angelicâ voce populis ſuis prædicare, & dicere: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator.* Et quia hæc vox Angelica eſt, abſq; dubio myſteriis eſt fœcunda, opusque foret angelicâ linguâ & facundiâ ad eam plene interpretandam. Attamen pro modulo noſtro, etiam balbutiendo, eam per ſingula explicemus & ponderemus; nec enim ingrata erit parvulo vagiẽti noſtra balbuties, nec Infanti Bethlemitico linguæ noſtræ infantia, nec ruditas noſtra ei inviſa qui à rudibus Paſtoribus glorificari non renuit.

*Ecce, vox emphatica.*

*Ecce evangelizo vobis.* Primò igitur, vel illa ſola vox, *Ecce*, dum dicitur ab Angelo, *Ecce evangelizo*, non videtur poſita ſine emphaſi & pondere; quæ vox verè ſolet præmitti ſive in antiquis Prophetarum oraculis ſive in Evangeliis & novi Teſtamenti libris, dum de Verbi Incarnati myſterio ſpecialis fit mentio. Eſt enim vox demonſtrandi, apta ad inſinuandum, demonſtrandum, indigitandum grande hoc myſterium, antea abſconditum, nunc viſibile & mirabile in oculis noſtris, Ideo in ſpiritu illud prævidentes Prophetæ hâc voce utuntur quaſi in uno choro, cui in altero choro per eandem vocem reſpondent Evangeliſtæ. 1 Iſaias ſic dicit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuël, Nobiſcum Deus:* (*Iſai.7.*) Cui velut in choro alterno concinens Joannes in Apocalypſ. myſterium jam impletum eadem voce deſignat: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & ipſe Deus cũ eis erit eorum Deus* (*Apoc.21.*) 2. Iterum idem Iſaias de eodem agens myſterio, quaſi jam illi præſens eſſet, ſic ait: *Ecce Deus meus, Salvator meus, fiducialiter agã, & nõ timebo. Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael.* (*Iſai 12.*) Cui conſonat velut alterna vox hæc hodierna Angeli: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, natus eſt vobis Salvator.* 3. Idem Propheta eundem Chriſtum deſignans non ſolum Judæis, ſed & Gentibus natum ut Ducem, eodem modo exorditur: *Ecce teſtẽ populis dedi eum, Ducem & Præceptorem Gentibus.* (*Iſa 55.*) Cui ex altero choro concinens Matthæus vocationem gentium primam per puerum natum exprimens, ait: *Ecce Magi ab Oriente veniunt, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt? Vidimus ſtellam ejus in Oriẽte,* (*Matth.2*) Denique ipſe Ioannes Chriſtum poſt omnes Prophetas, ante omnes Apoſtolos & Evangeliſtas deſignans, quaſi in medio chori utriusque eandem vocem bis repetit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Ioan.1.*). Aptiſſima igitur eſt vox iſta ad tacitum myſterium deſignandum, quâ uſi ſunt Prophetæ, quâ uſi ſunt Evangeliſtæ, qua uſus eſt Angelus in myſterii illius prima annunciatione: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum.* Sed nec minus ponderãda eſt vox illa, *evangelizo*, quæ aptiſſimè & propriiſſimè Angelo convenit, nam & ab Angelo vox deducta eſt; *Angelus*, id eſt nuntius; *evangelizo*, id eſt, bonum nuncio. Ergo proprium eſt Angelis evangelizare, quia ex primigenio ſuo officio ad bona hominibus nuntianda deſtinati ſunt, ab illo *qui Spiritus ſuos facit Angelos*; (*Pſ.103.*) Spiritus ex natura, Angelos facit officio. Angelus ergo primus evangelizat Paſtoribus gaudium magnum: *Hæc dies boni nuntij eſt.* (*4. Reg 7.*) Poſtmodum veniet ipſemet magni conſilii Angelus, magnum ſuum conſilium ſuper ſalute hominum humilibus evangelizans: *Spiritus Domini ſuper me, evangelizare pauperibus miſit me.* (*Iſa 61.*) Deinde mittet ſuos Apoſtolos & Evangeliſtas univerſis gentibus teſtificari Evangelium gratiæ Dei, & vices obire Angelorum; *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* (*Matt. 28*) Denique uſque in finem ſæculi mittit aliquos Apoſtolorum ſucceſſores, Angelicũ hoc officiũ obeuntes & populis dicentes: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum.* Poſtremò & in fine ſæculi revertetur iterum Angelus Evangelizans, ſed appropinquante die ultionis, non tam gaudium & Salvatorem, quam timorem & Judicem annuncians: *Vidi angelum volantem per medium Cæli, habentem Evangelium æternum ut evangelizaret ſuper omnem gentem, & tribum, & populum, & linguam dicens voce magnâ. Timete Dominum, & date illi honorẽ, quia venit hora judicij ejus.* (*Apoc. 14.*) De his ergo omnibus; quibus creditum eſt Evangelium gratiæ Dei, in ſpiritu elevatus inclamat Iſaias: *Quam ſpecioſi ſunt pedes evangelizantium pacem, evangelizãtium bona, prædicantium ſalutem, & dicentium: Sion regnabit Deus tuus!* (*Iſa.52.*) Quam amabiles pedes hodie evangelizantis Angeli, quam amabilis vox & adventus ejus ad Paſtores & plebem annunciantis; *Natus eſt vobis hodie Salvator.* Quam ſpecioſi & amabiles pedes Apoſtolorum & Apoſtolicorum Virorum ubique annunciantium in hodiernum uſque diem angelicum nuntium: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, &c.*

Deinde expendendum eſt illud; *Gaudium magnum.* Verè magnum, quod dimenſiones admirabiles habet, à nobis non ſatis comprehenſas; quia nec myſterium ex quo originem ſortitur hoc gaudium dimetiri valemus. *Flecto genua ad Patrem Domini noſtri IESV Chriſti*, inquit Apoſtolus, *ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo & latitudo, ſublimitas & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei* (*Epheſ.3.*) Utinã poſſimus comprehendere cum omnibus Sanctis, vel ſaltem aliqua notitiã & affectu pio complecti, & dimetiri myſterium hoc Incarnationis & Nativitatis Chriſti, ut illius gaudio cum omnibus ſanctis Angelis & hominibus, poſſimus perfrui. (*Magnitudo gaudij de nato Chriſto*) In eius altitudine videremus potentiam Dei, in eius profunditate ſapientiam, in ejus latitudine charitatem extenſiſſimam, in eius longitudine æternitatem quandã. Sic ergo myſterium magnum planè ita ut magnitudinis eius non ſit finis, de quo

3. Tim. 3.

Apoſtolos: *Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne: juſtificatum in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum in gloria.* Sic & gaudium, quod ex illo oritur, magnum eſt & immenſum, habens altitudinem, profunditatem, longitudinem, & latitudinẽ myſterio proportionatam. Illud inchoatur in medio terræ, ubi Domin⁹ initialiter operatus eſt ſalutem noſtram, id eſt in utero MARIÆ, & in ejus corde. Hinc uterum vocat medium terræ Sanctus Bernardus, quia illum ut centrum reſpiciunt & ſuperi & inferi, & qui habitant in cœlo, & qui agunt in purgatorio &, qui á dextris & ſiniſtris peregrinantur in mundo, juſti ſcilicet & peccatores.

1. Altitudo gaudij.

*Primò*, itaque hujus gaudii altitudo ex eo declarari poteſt, quod ad cœlos uſque aſcendat, ad Angelicos ſpiritus, qui miro perfuſi ſunt gaudio, ſuæ civitatis ruinas reparari dum vident, per illum qui naſcitur Caput hominum & Angelorum. Ideoque promptiores jam redduntur ad ſalutem hominum procurandam, eiſq; familiatiores fiunt; ita ut jam ab hominibus adorationem (quam olim ſoliti erant homines illis exhibere, ob eminentiam angelicæ naturæ) non accepent, naturam humanam in exaltatione ſua & unione cum divina conſiderantes. Hanc eſſe rationem cur Joannes ab Angelo adorationem congruam angelicæ naturæ acceptare noluerit, reddunt Sancti Patres. Unde S. Ildephonſus ſic lib. de Virgin. cap 11. ait: *Hæc natura in qua Abraham Angelum adoravit, & tamen adorare prohibita nón eſt, in Ioanne adorare volens prohibita eſt: quia in Abraham in Chriſto nondum erat aſſumpta; in Ioanne autem ideo hanc naturam ſe adorare Angeli prohibent qui hanc ſuper ſe in ſede Majeſtatis adorant. Ideò eam in ſubditis non contemnunt, quia ſupra ſe in ſua gloria contemplantur.* Et certè tanta inde ſocietas inter Angelos & homines interceſſit, ut Angelus Joanni diſertè dixerit: *Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorúm habentium teſtimonium Ieſu Chriſti.*

Apoc. 16.

Apoc. 19.

2. Profunditas gaudij.

*Secundò*: Profunditas hujus gaudii in eo cernitur, quod ad infernum, hoc eſt ad limbum & purgatorium uſque deſcenderit, de quo interpretantur aliqui illud: *Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis.* Dicuntque aliqui citantes D. Damaſcenum, terram ſe in nonnullis locis aperuiſſe, ut claritas circum fulgens in die Nativitatis Domini, ad ſanctos Patres in limbo agentes pertingeret, gaudii hujus prænuntia. Ibi igitur impletum eſt illud, quod Dominus Judæis dicebat; *Abraham exultavit ut videret diem meum, vidit & gaviſus eſt.* Ibi exultavit & Jacob, videns per myſticam ſcalam Dominum ad nos deſcendere, & nos per eandem ad ipſum aſcendere. item videns Angelos, aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis hoc eſt ad miniſterium ejus, pro ut in ſcala iſta deſignatum fuerat. Ibi exultat quoque Ezechiel videns Principem egredi per orientalem ſuam portam, ſemper nihilominus clauſam, & tertiò clauſam, in partu, ante partum, poſt partum: Mariam intemeratam deſignantem. Ibi exultat Aaron, virgãm ſuam florentem & fructificantem videns ex eius flore & fructu hodierno gaudium indicibile carpens. Ibi exultat Iſaias, intuens florem de radice Jeſſe, ſuper quem requieſcit ſpiritus Domini. Ibi exultant omnes in carcere agentes, dum annuntiatur ortus illius, qui *in ſanguine teſtamenti emittere debet vinctos de lacu, in quo non erat aqua.*

Iſa. 9.
Pet. de Natal. in Nativit. Domini,

Ioan. 8.

Zach. 9.

3. Latitudo gaudij

*Tertio*: Latitudo huius gaudii ex eò colligitur, quod ad omnes omnis ſortis & conditionis homines ſe extendat, ſi voluerint ejus eſſe conſortes; ideo fortè dicitur: *Quod erit omni populo, totius ſcilicet terræ.* Ideo S. Leo omnes ſic exhortatur: *Salvator noſter dilectiſſimi, hodie natus eſt, gaudeamus. Neque enim fas eſt locum eſſe triſtitiæ, ubi Natalis eſt vitæ, quæ conſumpto mortalitatis timore, nobis ingerit de promiſſa Æternitate lætitiam. Nemo ab huius alacritatis participatione ſecernitur. Vna cunctis lætitiæ communis eſt ratio Exultet Sanctus, quia appropinquat ad palmã; gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam; animetur. Gentilis, quia vocatur ad vitam.* Lætiſſimum ergo gaudium iſtud, & latiſſimum, dũ omnes ad illud vocantur, maxime hi qui in afflictione jacent & triſtitia. Appropinquet igitur peccator, inveniet veniam; appropinquet captivus, inveniet redemptionis pretium; appropinquet, æger, inveniet ſanitatem; appropinquet pauper, inveniet conſolationem; appropinquet errans inveniet viam; appropinquet ignorans, & inveniet ſapientiam; appropinquet morti proximus, inveniet vitam, abundantemque gratiam: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

Ioan 10.

4. Longitudo gaudii.

*Quartò*, Longitudo huius gaudii in eo conſiſtit quod in finem ſæculi uſque, immò in ſempiternis ſæculis perdurabit: Hinc tantus jubilus in filiis Eccleſiæ annis ſingulis renovatur, & de antiqua redemptione canticum novum ſemper promitur, novo gaudio, nova voce, novis chordis, novo corde, novis odis, novis modis & modulis, Nec ſæculum erit, quo nova per carnem Nativitas Filii Dei naturalis & primogeniti, á filiis adoptivis & ſecundò genitis ſolemni gaudio non celebretur; quorum auribus illud continuo in hoc die repetitur: *Plaudite, pſallite, jubilate, laudate adorate, afferte gloriam & honorem.* Nullaque alia ratio eis affertur, niſi illa ab Angelo allata: *Hodie natus eſt vobis Salvator.*

PARS II. De cauſſa magni gaudij.

VLterius eſt & illud ponderandum; *Hodie natus eſt vobis.* Quid aliud eſt, natus eſt vobis, quam id quod dixit Iſaias: *Parvulus natus eſt nobis & Filius datus eſt nobis:* Utique natus eſt nobis, nõ ſibi? propter nos, non propter ſe. Nihil illi ex hac Nativitate accedit commodi, omnia in noſtram utilitatem derivantur: Nihil illi, niſi pœna, ærumna

miſeria, ex nativitate terrena; nobis autem exinde vita, ſalus, gloria. Nobis naſcitur, nobis circumciditur, nobis vivit, nobis moritur, nobis patitur, nobis ſepelitur & reſurgit. Potiori ratione poteſt dicere, quod Apoſtolus: *Omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi gloriam conſequantur.* (*2. Tim. 2.*) Nobis quoque natus eſt, potius quam Angelis, quia *non Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* (*Heb. 21.*) Nec Angelos fugitivos apprehendendo reduxit, nec eos cadentes erexit, nec captivos redemit; *ſed rudentibus inferni detractos æternis vinculis ſub caligine reſervavit.* (*2. Pet. 2.*) Ad hominem autem fugientem venit, ut revocet, & reducat; & modo adhuc in ſtabulo inquirit, *Adam ubi es?* (*Gen. 2.*) Illum cadentem erigit, illum colliſum redintegrat, illum compeditum ſolvit, illum captivum redimit. Vobis ergo natus eſt Salvator, inquit Angelus; non dicit nobis Angelis natus eſt & vobis; quia licet in æterna nativitate utriſque æqualiter natus ſit, immò primario Angelis nobis tamen ſpecialiter in temporali nativitate oritur: quia ex nobis natus, habitabit in nobis, converſabitur inter nos in terris, Emmanuel, Nobiſcum Deus, & noſter Deus.

Quod ſi ſingulas hominum ſortes percurrere velimus, inveniemus aptè ab Angelo dictum; Natus eſt vobis. Hodie nempè natus eſt vobis, ô Principes, Regum omnium Princeps Natus eſt vobis, ô divites, ut cor veſtrum erigat ad eas quas affert & offert divitias cœleſtes & æternas. Natus eſt vobis, ô pauperes, quia pauper eſt. Matre ortus paupere, in paupere loco paupere cinctus veſte. Natus eſt vobis, ô Virgines, ut adoretis eum cum Virgine. Natus eſt vobis, ô juvenes, ut adoretis eum in Paſtorum ſocietate. Natus vobis, ô Opifices, ut Filium Fabri adoretis cum Joſeph. Natus eſt vobis, ô ſenes, ut adoretis eum Simeone ſene. Natus eſt vobis, ô viduæ, ut adoretis cum Anna ſeptem annis in templo agente in pia viduitate. Dicite ergo omnes, *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Utique datus & natus, non enim merito veſtro, ſed ſola Patris gratiâ, ſolâ ſuâ impellente miſericordiâ ad vos venit & propter vos venit. Et *datus eſt*, non venditus, quia nemo pretium pro eo congruum dare potuiſſet, nemo tantum mereri bonum. Natus vero vobis eſt, ut Frater, ut Paſtor, ut Salvator, ut Sanctificator, ut Sponſus, ut Glorificator. Meritò ergo gaudium vobis magnum nuntiatur in die Nativitatis ejus. Unde hoc gaudium in ſe exprimens S. Bern. ſic ait: *Non me capio prælætitia quod ſumma Majeſtas naturam ſuã naturæ carnis meæ & ſanguinis ſubvelat, & me miſerum in divitias gloriæ ſuæ non ad horam, ſed in ſempiternum includit, & ſit frater meus Dominus meus. Hæc exinanitio tam dignitativa rapit affectum meũ, & iſtorum memoria concaleſcit cor meum.* Hæc omnes pii agnoſcunt, qui Filium Dei ſibi natum agnoſcunt.

*Quibus Chriſtus non ſit natus.*

Sed eheu, quam multis non eſt natus puer hic ad gratiam, eorum culpa, ſed potius ad ultionem? Non eſt natus vobis, ô ſuperbi, quia ſuperbiam calcaturus venit, docens in fœno, in præſepio, in omnibus, quæ circa ſe ſunt, humilitatem. Non vobis natus, ô avari rapinis & injuſtitiis addicti, venit enim calcaturus opes ſæculi; venit & ſatisfacere pro rapina & furto avari parentis veſtri, cujus reatum imitantes, pœnitentiam non imitamini. Non eſt vobis natus, ô luxurioſi, quia caſtitatis amator eſt, quam in corpore ſuo conſecravit, vos corpus veſtrum polluitis, & injuriam ejus virgineo corpori, quod ejuſdem vobiſcum naturæ aſſumpſit, infertis, divinamque iram in vos accerſitis. Non eſt vobis natus, ô vindicativi, impatientes, invidi, quia pacem affert & charitatem, Deoque gloriam docet decantare; vos odium & vindictam amatis, fovetis, & per execrationes ac juramenta nomen Dei conſpurcatis. Non eſt vobis natus, ô gulæ & ventri addicti, ſitim enim & famem venit pati, & pro gulæ peccato ſatisfacere, vobis vero venter Deus eſt, non Chriſtus Jeſus. Non eſt vobis natus ô homines torpidi & dormientes, ſalutis incurii, quia vigilantibus nativitatem ſuam annunciat, & ſui viſionem indulget. Non eſt vobis natus, ô impœnitentes animæ. O dura corda, quia ſtabulum, fœnum, lachrymæ, & omnia quæ circa hunc puerum ſunt, inclamant pœnitentiam, & vos ſurdi aures cordis occluditis. Eſt tamen natus peccatoribus, nec repellit quibuslibet peccatis obnoxios, ſi lachrymis infantilibus lachrymas jungant ſuæ cõtritionis. Natus eſt omnibus bonæ voluntatis, qui ad emendationem vitæ ſe accingunt. His ergo omnibus inclamat Angelus: *Natus eſt Salvator qui eſt Chriſtus Dominus.*

*Chriſtus Salv. Iſa. 10.*

Natus eſt Salvator, ut nemo deſperet de ſalute; Natus eſt Chriſtus, ut nemo deſperet de medela & ſanitate: Affert Jeſus ſalutem, affert Chriſtus vulneribus unctionem. Natus eſt verus Dominus, ut nemo deſperet de liberatione à tyrannide, *Computreſcet jugum antiquum peccati à facie olei*, quod affert Chriſtus, Sceptrum exactoris, ſive imperium & tributum dæmonis ceſſabit à facie veri Domini, veri Principis, cujus Principatus ſuper humerum ejus. Hic eſt Parvulus qui natus eſt vobis. Princeps natus eſt Dominus, ex nunc crucem, dominii ſui ſceptrum quaſi humeris gerens, & in illa ex nunc ſe Patri offerens. Hic itaque eſt cui dicitur apud Prophetam: *Iugum oneris ejus, & virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ejus ſuperaſti, ſicut in die Madian.* (*Iſa. 9.*) Quaſi diceremus: O Chriſte, jugum ſervitutis ſatanicæ, quo populus tuus tamquam onere graviſſimo premebatur & perimebatur, & virgam crudelem dorſo ejus incumbentem, aſperè eum affligentem, ſceptrumque tyrannicum intolerabile ob iniquiſſimum peccati tributum, ad quod continuo adigebat, tu ſuſtuliſti: & hoſtem tuum ſuperaſti eodem penè modo quo Gedeon olim Madianitas in famoſo illo die victoriæ ſuæ. (*Gedeon Chriſti figura.*) Sed quomodo ſuperavit Gedeon? In primis vidit in nocte quidam panem ſubcineritium volui,

& ſubvertere caſtra hoſtium: Ecce Chriſtus ſub cinere mortalitatis noſtræ amoris igne coctus panis in Bethleem viſitur, hoc eſt in domo panis, & volvitur hac nocte contra caſtra hoſtium, vires dæmonum conterens; nam & idola ad ejus adventũ conticuerunt & in illis dæmonia. Ulterius Gedeon victoriam reportavit, luce in nocte effulgente per lagenas teſtaceas, inclamantibus ſimul tubis. Chriſtus divinitatis, lucem in vaſe teſtaceo carnis mortalis abſcondit, & effulſit illa in nocte Nativitatis, terrens hoſtes Madianitas, hoc eſt fugans dæmones; exhilarans Iſraëlitas, hoc eſt Dei electos milites, quia jam etiam incipiunt tubis clamare, quia Angeli & Paſtores adventum noſtri Gedeonis cũctis ceperunt annuntiare, & Deum glorificare, quaſi inclamantes, *Deo & Gedeoni*. Perfectiſſima autem victoria continget jam fracto vaſe teſtaceo in Chriſti morte, prædicatione Evangelii, quaſi tuba inſonante, & fidei luce ubique corruſcante. Denique Angelus Domini victoriam annuncians Gedeoni, territum illum ſplendore angelico ſic affatur: *Pax tecum, ne timeas*; ædificavitque altare tibi & vocavit illud, *Domini Pax*; & ſic vocatur uſque in præſentem diem, ait Scriptura. Sic Angelus Nativitatem & victoriam Chriſti nuncians, Iſraelitas Paſtores luce territos affatur, & dicit; *Nolite timere*. Poſtmodùm multitudo Angelica decantabat illud: *Pax hominibus bonæ voluntatis* Mittunturque ut videant altare quod ſibi erigi voluit Dominus, Præſepium ſcilicet cui rectiſſimè hunc titulum indelebilem adſcribere poſſumus, DOMINI PAX: Ibi enim inter Deum & hominem inviolabilis pax inita fuit, quæ decantatur uſque in præſentem diẽ, & perdurabit uſque in æternitatem. Igitur propter hæc omnia Chriſto hodie matutinis in officiis decantat Eccleſia *Sceptrum Exactoris ſuperaſti ſicut in die Madian*. Et adverte Gedeonis ad hoſtes adventum & victoriam in nocte fuiſſe, non in die; & tamen vocatur nox illa dies, quia lampadibus effulgentibus, fugatis tenebris, ſicut dies illuminata eſt, & noctem mœroris à populo oppreſſo depellens, diem ſingularis induxit lætitiæ. Similiter Chriſtus in nocte advenit, & tamen dicitur: *Hodie natus eſt vobis*, quia noctem illam quaſi diem illuminavit claritas divina, & mœrorem caliginoſum à populo Dei depellens lætitiam; magnam inſtar lucis animos illuſtrautem peperit. Poteratque Chriſtus dicere: *Nox illuminatio mea in deliciis meis; quia delicia mea eſſe cum filiis hominum* Hodie ergo natus eſt vobis, quia hæc eſt dies quam fecit Dominus, noctem vertens in diem, tenebras in lucem. Antea ſemper nox, nunc prius dies; abſentia Solis facit noctem, præſentia ejus facit diem. Ab Adam uſque ad tempus iſtud fuit nox ob abſentiam Solis hujus, tenebræ peccati, caligo ignorantiæ & ſuperſtitionis populum gentilem, umbra obſcura legis Iſraëliticam plebem involvebat. At in ortu hujus Solis incepit dies ſuper univerſam terram, fugata umbra, fugata nocte. Hæc eſt dies gratiæ, quæ vocatur, *Hodie*, & perdurabit ac perducet ad diem æternæ gloriæ. Hæc eſt dies in quo nobis primum apparet is qui eſt lumen de lumine, Splendor paternæ gloriæ, Candor lucis æternæ: & ideo nulla debet fieri mentio noctis aut tenebrarum; cum & ad hoc venerit, ut nos faceret filios lucis & diei, eruens de poteſtate tenebrarum & dignos faciens ſortis Sanctorum in lumine, Vobis ergo natus eſt, ô filii lucis, vobis ô Paſtores vigiles inimici noctis!

*Nox Nativitatis dies.*

*Pſ. 138.* *Prov. 8.* *Pſal. 117.*

*Coloſſ. 1.*

*PARS III. De ſigno dato Nat. Ieſu.*

IUdæi ſigna petunt. Et propterea adverte quoties antiquitus Dominus egit de liberatione populi ab hoſtium poteſtate, ſemper aliquod ſignũ dediſſe; ſed tale ſignum quod liberationem & ſalvationem per Chriſti adventum indicaret.

*1. Cor. 1.*

*Liberationis ſigna Iudæis data Chriſti adventũ indicarunt.*

*Primò*. Agit de liberatione populi ex Ægypto cum Moyſe, & eum ad hanc vult deſtinare, ſed quia vult Moyſes ſignum, dicitur ei, *Quid habes in manu?* Reſpondet, *Virgam*, Jubetur eam projicere in terram, & facta eſt ſerpens; jubetur è terra ſublevare, & è ſerpente iterum fit virga. Sed & aliud ſignum adjicitur. Jubetur manum in ſinum mittere; at cum miſiſſet, protulit eam leproſam; iterum verò in ſinum eam mittens, totam reducit ſanam. Hoc vobis ſignum, ô Judæi, non tam liberationis per Moyſen, quam liberationis per Chriſtum Salvatorem. Chriſtus virga eſt, quia potentia & ſceptrum Patris, ſed in terram per incarnationem miſſus, humanam naturam olim per ſerpentem vitiatam aſſumit, & quaſi ſerpens reputatur, hoc eſt malignus; ideo in ligno quaſi ſerpens venenatus erigitur, & oſtentatur. Ac per reſurrectionem rurſum in manu Patris fit virga virtutis, per quam dominatur univerſo orbi. Similiter Chriſtus Filius Dei manus eſt Patris, per quam fecit omnia. Hic erat in ſinu Patris, ſed cum foras prolatus eſt per incarnationem, viſus eũ leproſus, miſeriis noſtris & doloribus quaſi lepræ communicans: *Nos reputavimus eum quaſi leproſum*. Sed in ſinum Patris rurſus per reſurrectionem & aſcenſionem retractus, in dextera Patris apparuit glorioſus.

*Exod. 4.* *1. Patet in Moyſe.*

*Iſai. 53.*

*Secundò*. Agit Angelus de liberatione à jugo Madianitarum cum Gedeone, vultque eum Ducem deſtinare. At petit & ipſe ſignum. *Ponam*, inquit, *hoc vellus lanæ in area, ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas ſciam quod per manum meam liberabis Iſrael*. Et factum eſt ita Et de nocte conſurgens expreſſo vellere, concham, ſive lagenam, rore implevit. Hoc vobis ſignum, ô Judæi; adventus Chriſti & redemptionis, *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia, &c.* Ut enim pluvialis ros in aridum vellus Gedeonis miraculo deſcendit abſque ullo ſtrepitu, nihil nocumenti inferens velleri, neque dum illabebatur, neque dum exprimebatur: ita & ipſe è cœlo inaudito modo illapſus eſt in uterum Virginis inſenſibiliter, nihil vitians ingreſſu & egreſſu virgineum pudorem. Et ſicut ſtillæ leniter cadentes, terram ſitientem fœcundant, ita & Virginis uterum ros cælicus.

*2. In Gedeone. Iud. 6.*

*Pſal. 71.*

3. in Achaz. Iſa.7. *Tertio;* Agit cum Achaz de liberatione Jeruſalem ab obſidione, & ei dicitur : *Pete tibi ſignum à Domino in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra*, ut ſcilicet hoc ſigno confirmet Dominus promiſſum de populo liberando. Et quidem non vult ille ſignum petere, ſimulata pietate, & verè hypocrito corde. Sed dicitur ei: *Dabit vobis Dominus ſignum; Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Hoc vobis, ſignum, ô Judæi, non ſolvendæ obſidionis, quæ tunc agebat Jeruſalem; ſed liberationis per Chriſtum conceptum & natum ex Virgine; & hoc ſignum ſuperat ſigna omnia quæ poterant è profundo, vel è cœlo dari. Signum enim iſtud è cœlo eſt, è terra, quia corpus terrenum cœleſti divinitati unitur prodigio planè admirabili, ut nobis cedat in ſignum irrefragabile.

4 in Ezechia. Iſa.38. *Quarto* agit cum Ezechia de ſanitate ei reddenda, & victoria contra hoſtes per eum reportanda. At quia petit ſignū, datur ei Sol recedens in horologio Achaz Patris ſui per decem lineas. Hoc vobis ſignum, ô Judæi, non tam victoriæ temporis illius, quam victoriæ ſpiritualis in adventu Salvatoris. Hic eſt Sol qui per novem Angelorum gradus deſcendit ad decimam uſq; humanæ naturæ aſſūptæ retrocedens. O admirabile ſignum!

*Omnia illa ſigna in Infante pannis involuto.* Itaque omnia hæc prædicta ſigna completa ſunt in ſigno quod modo datur Paſtoribus : *Invenietis Infantem pannis involutum in præſepio.* Hoc enim eſt ſignum ſignorum, prodigium prodigiorum, miraculum miraculorum, ad quod cætera ſternebant viam. Et quidem ſuperficietenus conſideratū hoc ſignum vile nimis videtur, indignumq; Rege & Salvatore, qui in hoc ſigno debebat agnoſci. Quale enim eſt hoc ſignum Redemptoris & Regis Iſraël? Quænam ejus aſſignantur Stemmata & inſignia? An hæc pro quadruplici Nobilitatis Stemmate (vulgo *les quatres quartiers*) *Inſignia Chriſti, ſtabulum panni, præſepe: fœnum.* Stabulum, Præſepium, Panniculi Fœnum? Utique primus ejus Signifer Angelus in ſuo vexillo non alio defert pro inſignijs, illaque oſtendere videtur Paſtoribus vel ut in viridi Campo depicta, cum hoc Symbolo ſubſcripto; *Invenietis infantem poſitum in Præſepio.* An vos, ô Judæi, humilia nimis nimiſq; vilia cenſetis, hæc ſtemmata, ut per illa agnoſcatis Ducem, qui eruere vos debet de manu hoſtili : Memineritis Moyſis Ducis veſtri in Fiſcella ex juncis texta expoſiti, dum infans foret : Memineritis Ducis alterius Gedeonis in area inter paleas agentis, dum Dux veſter inauguratus eſt: Memineritis Cyri Regis, qui vos è captivitate Babylonica liberavit inter viles Paſtores derelicti, & ab eis educati. *Exod.2. Iudic.6. 2.Paralip.36.* Ecce obſcurus fuit ortus horum Ducum, qui vos in libertatem aſſeruerunt; & hoc vobis nunc ſignum idem datur nati Salvatoris. Non ergo hæſitant Paſtores in hoc ſigno infantis involuti in præſepio, quia licet vile videatur oculo corporeo, oculo tamen fidei aquilino & lynceo ſublime eſt; quia ultra nubem infantiæ, ultra pietatem infirmitatis humanæ intuetur hic Solem totius charitatis, Majeſtatēque divinitatis. Non ergo vile ſignum iſtud, ſed admirabile. idemq; cum illo. *Signum magnum apparuit in Cœlo, mulier amicta Sole, Luna ſub pedibus ejus, in capite ejus corona ſtellarum duodecim*, & cruciatur ut pariat Filium ad thronum Dei rapiendum. *Apoc.12.* Hæc eſt enim Maria, oſtenſa ut prodigium in Cœlo licet pariat in fœno ; amictus eſt divinitatis Sole, quem parit, Lunam habet ſub pedibus; calcans rerum omnium humanarum inconſtantiam in Luna deſignatam. Coronam habet ſtellarum, varijs adornata privilegijs fulgidiſſimis. Angelis quoque cincta. Cruciatur ut pariat, non dolore partus, ſed ſummo deſiderio pariendi, & filium natum vidēdi: cruciare quodammodo ſolet deſiderium vehemēter amantes. Sic omnes creaturæ; etiā Angeli, quodammodo cruciari, & ingemiſcere, & parturire dicuntur, revelationē Filiorum Dei expectantes. Signum itaq; datur Joanni magnum in cælo; vobis, ô Paſtores, parvum in præſepio: ſed ſi ſpecie exiguū, te omnino eximium. *Rom.8.* Judæi ſigna petunt, Græci ſapientiam quærunt; Angelus vobis prædicat Chriſtum in Præſepio, Judæis ſcandalum, Gentib⁹ ſtultitiam, ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem & ſapientiam: quia quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. *1.Cor.1.*

Nos quoque vobis prædicamus JESUM in præſepio, ô Chriſtiani? ut vobis ſit ſignum, ut ſit ſignaculum ſuper cor veſtrum. *Ieſulus natus omnib eſt ſignum.* Hoc vobis ſignum amoris, ô electi & dilecti Dei! Hoc vobis ſignum pietatis, ô Deo devoti! Hoc vobis ſignum obedientiæ, ô pueri! Hoc vobis ſignum caſtitatis & puritatis, ô Virgines! Hoc vobis ſignum patientiæ, ô inopes & afflicti! Hoc vobis ſignū pœnitentiæ, ô peccatores. Hoc nobis ſignum pacis, ô homines bonæ voluntatis! Ideo enim dato hoc ſigno, mox clamat Angelorum multitudo. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

HOc ſignum ſuper cor ſuum poſuit B. Margarita de Caſtello, quæ in contemplatione Infantis hujus in præſepio continuò verſabatur. Exempl. Unde poſt mortem, cum corpus ejus aperiretur, ut aromatibus conditum ſervari poſſet ad fidelium devotionem, reperta eſt gemma cordi adhærens, in qua erat ſculpta imago Nativitatis Jeſu ; & Virgo hæc Margarita genu flexa ante præſepium in eadē imagine cernebatur. Teſtis eſt Granatenſis ſerm de Nativ. dicitque adhuc hanc gemmam ſervari in Sacrario S. Dominici in Italia, in urbe dicta Caſtello, ubi & ipſa tertium Ordinem S. Dominici erat profeſſa. *Hort. Paſt. Tract.3. Lec.12.*

Huic quoque ſignum ſuper cor ſuum poſuit S. Franciſcus. Datum ſibi à Deo exiſtimavit hoc præſepium, in ſignum paupertatis, obedientiæ, caſtitatis, ideoque ſemper illud contemplabatur. Nempe & Franciſcum ipſum parere non potuit Mater per plures dies cruciata, niſi in ſtabulum delata, hoc monente quodam mendico peregrino, quem fuiſſe

Angelum non ambigitur. Si humilis Franciſcus erat, ut humili ortu Chriſtum ſecutus, etiam poſtmodum ejus ſtigmatibus ſignaretur ſimilis factus Chriſto orienti, ſimilis morienti.

## DE EODEM FESTO NATIV.

LECT. 3. tripartita

*Tranſeamus uſque Bethlëem, &c.* Luc. 2.

PARS I. *Qui Bethleem trãſierint.*

NOn paucos ex ordinatione & impulſu divino in Bethleem tranſiviſſe, Evangelica declarat Hiſtoria; Percurramus eos breviter.

*1. Dei filius in utero matris.*

1. Primo tranſivit Chriſtus Dei Filius de Nazareth in Bethleem, Matris utero portatus, Patris voluntatem & admirabile conſilium ſuper ſalute generis humani executurus, & abſconditum à ſæculis incarnationis & nativitatis ſuæ myſterium teſtibus à Deo ordinatis manifeſtaturus. Tunc impletum eſt illud: *Aures perfeciſti mihi, tunc dixi, ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam.* Quid eſt aures perfeciſti mihi? Sanct. Paulus legit, *Corpus aptaſti mihi, tunc dixi, Ecce venio.* Corpus ei à Patre Spiritus S. virtute in utero Virginis aptatum eſt; aureſque non ſolum corporis, ſed & animi ibidem perfecit ei Pater, per donum obedientiæ & obauditionis perfectiſſimæ: & ita impleto uteri tempore dicit: Ecce palam venio per carnis nativitatem, ut tuam, O Pater & Deus meus, faciam voluntatem, & gloriam tuam hominibus manifeſtam. Atque ita primus actus quem Chriſtus in ortu ſuo exercuit, fuit actus perfectiſſimæ recognitionis & profundiſſimæ adorationis erga Patrem, ſimulque oblationis intimæ & amoris. Ex tunc Patris æterni decreta circa ſingula vitæ & paſſionis ſuæ momenta ſummo amore acceptans pro ſalute hominum, carnem iam incipientem mortalis vitæ incommoda pati in frigore & nuditate, in aſpera præſepij reclinatione, obtulit Patri tanquam hoſtiam vivam & ſanctam Et ex eo tempore perpetua victima permanſit in conſpectu Patris omnibus momentis vitæ ſuæ mortalis ſanctificans ſeipſum, & ardentiſſimè deſiderans adimplere æternum ejus conſilium ſuper ſalute hominum, cujus gratia de Nazareth aſcenderat in Bethleem, ſciens voluntatem illius à quo miſſus eſt in mundum.

Pſal. 39.

Heb. 10.

*Primus actus Chriſti in ortu.*

*2. Joſeph cũ Maria*

*Secundo*: Tranſivit Joſeph cum Maria in Bethleem; non caſu aut fortuito; ſed infantis hujus divini inſtinctu & altiſſimi conſilio, quia hi admirabilis conſilij & myſterij ſoli conſcij erant, & electi cælitus illius cooperatores fideliſſimi. Quapropter Maria quæ novem menſibus omne obſequiũ maternum exhibuerat intus latenti, jam novo fervore & gaudio ſeſe offert ex utero prodeunti, aures habens perfectè apertas ad beneplacitum Filij, & ad voluntatem Patris Æterni. Unde miniſterium ſuum exordiens, partum hunc adorat, brachijs excipit, involvit, lactat, reclinat. Similiter & Joſeph electus adjutor hujus divini myſterij & miniſterij, quæ ſui ſunt muneris, exequitur diligentiſſimè: ſacrum hoc depoſitum curæ ſuæ commiſſum adorat, contemplatur, cum reverentia ſuſcipit & ei cuſtodiam, alimentum, curamque omnem Patris impendit. Atque etiam ex tunc ferventiſſimo amore, nato puero & divino ejus beneplacito, omnem artis ſuæ induſtriam, omnes labores & ſudores, totamq; vitam ſuam, ac etiam ipſum ſãguinem, ſi opus ſit, conſecrat; Hanc ob cauſam è Nazareth tranſivit in Bethleem cum Maria, poſtmodum & in Nazareth reverſurus & in Ægyptum iturus, & ibidem in exilio multas ærumnas paſſurus ſumma patientia animique gaudio.

*Maria Jeſum natum adorat.*

*3. Angeli.*

*Tertiò*: Tranſiverunt in Bethleem Angeli, multitudo cæleſtis militiæ) ibi ſuum agnituri Ducem, adoraturi Regem: *Et iterum cum introducit Primogenitum in orbem terrarum, dicit adorent eum omnes Angeli ejus.* Sic ſtabulum factum eſt cælum, dum cæleſti lumine fit fulgidum, dum Angelorum adorantium & laudantium multitudine fit decorum, dum præſepe infantis, thronus fit divinitatis O Bethleem, quam viſa ſunt in te mirabilia, quæ meritò totam cæli ad te attrahunt curiam, dum apud te lãbit ubera, qui regit ſidera.

*Heb. 1.*

*Stabulũ fit cælum.*

*Magnus in medio tui ſanctus Iſrael. Parvus in medio tui ſanctus Iſrael.* *Iſaia 12.*

*Magnus*, quia ibi conſortio Angelorum. *Parvus* quia ibi in ſocietate animalium.

*Magnus*, quia ille ipſe eſt, cujus magnitudinis non eſt finis, *Parvus*, quia præſepio arctatur & panniculis, *Pſ. 144.*

*Magnus*, quia tribus digitis appendit molem terræ. *Parvus*, quia pendet ab uberibus matris terrenæ. *Iſa. 40.*

*Magnus*, quia librat in pondere montes & colles in ſtatera. *Parvus*, quia manu libratur ab imbelli virgunçula. *Ibid.*

*Chriſtus magnus & parvus.*

*Magnus & laudabilis nimis. Parvus & amabilis nimis.*

*Magnus*, qui fulgurat in cœlo. *Parvus*, qui vagit in præſepio.

*Magnus*, aquis replens ſinum maris. *Parvus*, lacrymis rigans ſinum matris.

*Magnus*, terribilis ſuper Deos omnes. *Parvus*, vilis & abiectus infra homines omnes.

Hanc ergo magnitudinem & parvitatem ut intueantur Angeli, deſcendunt in Bethleem, viſuri & adoraturi Verbum abbreviatum ſuper terram, qui hactenus intuiti ſunt Verbum immenſum cœlum implens & terram. Deſcendunt admiraturi, quomodo nec magnitudo ejus parvitate minuitur, nec parvitas magnitudine abſorbeatur.

*4. Paſtores.*

*Quartò*: Tranſiverunt & Paſtores in Bethleem, mox ubi audierunt alloquio angelico ibi natum, tamquam electi teſtes hujus myſterij. *Tranſeamus in Bethleem, & videamus Verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes* Hi erant Primitiæ Judæorum, quaſi ſibi Primogenitus Patris & Matris voluit conſecrari;

ſta-

ſtatim etiam erant ſecuturi Reges Orientis, Primitiæ Gentium. Reges de longinquo veniunt, quia à Chriſto remoti erant, & regione, & religione. Paſtores de propinquo accedunt, quia Chriſto conjunctiores, tum patria & gente, tum lege & Rege. Interim utrobique. Tres ſunt, ſive Reges, ſive Paſtores, qui eliguntur teſtes hujus Nativitatis, & Præcones SS. Trinitatis. Tres enim fuiſſe Paſtores teſtatur Beda l, de locis ſanctis c. 8. Cui conſentiunt Eccleſiaſtici ſcriptores. Hi agnoverunt Trinitatem quæ erat in terra. Jesus, Maria, Joseph; Unde dicitur: *Invenerunt Mariam & Ioſeph, & Infantem qui erat in præſepio.* Et fortè non ſine myſterio prius dicuntur inveniſſe Mariam & Joſeph, quam infantem in præſepio, ut ſignificetur per Virginem Matrem viam nobis eſſe ad Chriſtum, tamquam quæ ſit Mediatrix ad Mediatorem; nec negligendum etiam Joſeph, quia & per Sanctos, tamquam interceſſores nobis eſt aditus ad Jeſum.

*Bern. ſer. 6. de Nat.*

*Paſtorib. ubinam angelus natum, Chriſtū annunciarit Adrichom. in deſcript. terræ ſanctæ.*

Quæres, quo loco Angelicum nuntium perceperint hi Paſtores, ſive de quo loco tranſeant, dum dicunt: Tranſeamus in Bethleem? Communis traditio eſt, Angelum eos allocutum fuiſſe juxta turrim Eder, ſive turrim gregis, quam ſic deſcribunt terræ ſanctæ Scriptores: *Turris gregis, Hebraicè, Turris Eder, campus eſt uberrimus, paſcuis & olivis refertus, diſtat paſſibus fere mille à Bethleem, ubi Iacob Patriarcha fixit tabernaculum, & pavit greges ſuos, Gen. 33 ibique eo habitante Ruben violavit thorum Patris. Hoc in loco Paſtores, ut prædixerat Michæas, nocte vigilantes, ſuper gregem audierunt canentes; Gloria in excelſis. Vbi poſtea templum erectum eſt Sanctorum Angelorum à B. Helenæ. Atque adeo ſacellum hic erectum eſt in tantæ rei memoriam medio in agro.* Exiſtimatur itaque de eo locutus Michæas: *Et tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion, uſque ad te veniet, & veniet poteſtas prima, regnum filiæ Ieruſalem.* Senſus igitur Prophetiæ iſtius eſt Tu. O turris Eder, ruſticana, vilis & paſtoritia, caput attolle & exulta, quia primò ad te veniet nuntius cœleſtis ortum novi Regis annuncians, cujus poteſtas prima & Regnum incipiet in Jeruſalem, indeque propagabitur per totum Orbem Quapropter eris turris non tantum gregis, ſed & turris nebuloſa Hebraicè Ophel) ſive celſæ caliginis, quia in te ex olimpi celſo vertice deſcendet cœleſtium ſpirituū multitudo, concinentium; *Gloria in excelſis Deo.* Ex hoc igitur loco mox in Bethleem tranſire feſtinant, ut videant verbum quod factum eſt, id eſt rem geſtam & ſibi annunciatam; ſic enim loquuntur. Hebræi, verbum pro re geſta accipientes; *Indica mihi verbum quod factum eſt*, dicebat David Amalecitæ nuntianti mortem Saulis. Notat tamen S. Chryſoſt. hom. in Luc. Paſtores utpote vigilantes vigilanter dixiſſe: *Videamus verbum quod factum eſt* non vero dixiſſe; Videamus puerum, aut videamus quod dicitur, quaſi Spiritus S. inſtinctu indicarint ſuis verbis illud quod Joannes poſtmodum pronunciat: *Verbum caro factum eſt*, Quaſi dicant: *Verbum quod ſemper fuit, videamus quomodo pro nobis factum eſt, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis. Verbum ipſum ſe fecit, ſiquidem ipſum Verbum Dominus eſt. Quem videre non poteramus dum erat Verbum, videamus in carne, dum Verbum caro factum eſt.*

*Mich. 4.*

*2. Reg. 1.*

*Pars II. De paſtorū devotione in tranſitu.*

*1. Statim angelorū dictis credunt.*

*2. Vltro iter aggrediuntur.*

Sed expendamus paulisper Paſtorum horum promptitudinem, devotionem, & fervorem, quem imitari valeamus, dum vocamur ad divinū obſequium. Primo quidem mox Paſtores Angeli dictis fidem firmam adhibent, nihil vacillantes de ortu Salvatoris, licet dubietatem eis afferre poſſet vilitas loci in quo natus dicitur, vilitas ſtabuli & præſepii. Secundo, licet Angelus eos in Bethleem non mittat, mox tamen iter aggrediuntur, hanc eſſe Dei voluntatem piè interpretantes, haud ea de re (ut fieri ſolet) multis ultro citroque rationibus diſceptantes. His longè diſſimilia illi de quibus S. Bernardus in Declamat: *Vocat Oriens, & tu attendis ad Occidentem, vocat magni conſilii Angelus, quid adhuc aliena, conſilia præſtolaris.* Tertio veniunt non torpido greſſu, ſed feſtinantes; neſcit enim tarda molimina Spiritus S. gratia. Unde S. Chryſoſt. in Luc. *Ardor animi & deſiderium vincebant Pedes non poterant tantum currere, quantum mens cupiebat aſpicere; & quia tanto ardore currebant; propterea inveniunt quem quærebant* Sic currebāt & in ejus reſurrectionē magno ardore Petrus & Joannes ad monumentum, quia & ipſi futuri erant nuncii reſurrectionis, ſicut & hi nativitatis; ſic utrimque Paſtores currunt, & in Nativitate, & in Reſurrectione; iſti ut contēplentur Paſtorem ſummum jacentem in ſtabulo, vagitu ſuo quaſi ſibilo oves ad caulam ſuam vocantem; hi ut contēplentur eundem reſurgentem è tumulo, & eas ad æternam aulam revocantem. Et iſti quidem invenerūt, & crediderunt in eum qui jacebat in medio duorū animalium; hi crediderunt in eum qui jacuerat in medio duorum Angelorum, quorū unus ad caput alter ad pedes deſcribitur. Qui ad caput ſedebat ej⁹ videtur annunciare divinitatem, qui ad pedes ejus indicare humanitatem. Qui ad caput ſedebat, indicat illud; *In principio erat Verbum*; qui ad pedes, illud demonſtrat; *Et Verbum Caro factum eſt.* Similiter & duo iſta animalia, quæ in Nativitate ad caput & pedes Domini deſcribi ſolent, idem inſinuant, divinitatem ejus ſcilicet & humanitatem dicente Propheta ſecundum lectionem LXX. Interpretum: *In medio duorum animalium cognoſceris.* Cognoſcitur enim ibi Chriſtus, ut Deus, cognoſcitur ut homo; cognoſcitur in principio Verbum, cognoſcitur in fine Verbum caro factum. Et hæc ipſa duo animalia in Nativitate, duo ſunt Angeli in Reſurrectione: quia populus Judæorum, quem bos ſignificabat legis onere preſſum, & populus Gentium, quem aſinus indicabat rudem eſſe, & contra Deum recalcitrantem, per Chriſti Reſurrectionem tranſierunt in conſortium Angelorum.

*3. Veniunt feſtinanter.*

*Chriſtus in medio duorum agnoſcitur.*

*Ioan. 20.*

*Abac. 3.*

Eum.

Eundem itaque Paſtores agnoverunt prope Bethleem naſcentem nativitate terrena, quem diſcipuli prope Jeruſalem renaſcentem nativitate glorioſa. Et potuerunt dicere, *Domine audivi auditum tuũ, & timui*; nam claritas Angeli Annunciantis primò eos terruit: *Conſideravi opera tua, & expiavi*, quia in admiratione tantæ humilitatis, tantæ novitatis, ſtupore quodam repleti ſunt, dum vident oviculam Paſtorem ſuum peperiſſe, & petram deſerti emiſiſſe Agnum Dominatorem univerſæ terræ, qui Aquilis, Leonibus, Tauris, Elephantis dominaturus eſt, poſtquam ad montem filiæ Sion aſcenderit immolandus. Quænam eſt ovicula niſi Maria? Quis Paſtor & Agnus, niſi Chriſtus? Quæ petra deſerti inculta & intemerata, niſi Mariæ virginitas intacta & inviolata? Hæc Paſtorem peperit ovicula; hæc Agnum emiſit Petra, Reges quoslibet ſubiugaturum, qui pro inſignijs Aquilas: Leones, Leopardos oſtentant in ſymbolum potentię. Nam *puer parvulus minabit eos*; veſtitus à Maria vellere virgineo *Agnus, deducet eos ad vitæ fontes aquarum*; ſed prius in montem Calvariæ aſcendet immolandus. An non merito hæc omnia Paſtoribus admirationem & ſtuporem incutiunt, dum in medio animalium agnoſcitur Paſtor ille, Agnus ille, ille puer parvulus, ſic humiliatus, ſic exaltatus, poſtea in monte in medio duorum latronum iterum humiliandus, iterum exaltandus? Ad hæc igitur admirabilia conſideranda feſtinantes veniunt in Bethleem, licet mandatum ea de re non acceperint ab Angelo; & in hoc, ut diximus, eluceſcit eorum devotio & promptitudo.

*Agnus de petra deſerti emiſſus Chriſtus.*

*Iſai. 11.*
*Apoc. 17.*

4\. *Nullum obſtaculũ prætendunt.*

Denique hæc etiam in eo cernitur, quòd nullum prætexant impedimentum, nec rei incertitudinem nec noctis caliginem, nec frigoris aſperitatem, nec gregi neceſſariam cuſtodiam & præſentiam ſuam. Heus tu qui ad Dei vocaris obſequium & ſequelam, vel ad meliorem vitam, quot prætexis excuſationes? quot tibi mundus & caro injicit compedes & difficultates? Si tamen in te eſt verus amor Dei, non debet eſſe languidus aut infirmus; omnes occaſiones, omnes compedes curſum in via Dei impedientes fortiter debet diſrumpere & tranſilire. Qui torpidus eſt ad Chriſtum quærendum, condemnatur diligentia horum rudium Paſtorum. Immo dicere hic poſſumus quod alibi Sapiens: *De ſtercore boum lapidatus eſt piger, & omnis qui tetigerit eum excutiet manus*: hoc eſt, dignus eſt qui boum ſtercore impetatur, & conſpurcetur, & quem omnes deteſtentur, nec attingere velint tanquam maculatum & ſpurcum. Certe ipſa animalia Chriſtum in præſepio adorantia condemnant omnes hærentes in peccatis, Chriſtum quærere & adorare negligentes & ſtercora horum animalium, quodammodo eos condemnant; eos lapidant & conſpurcant: & ab omnibus deteſtandos oſtendunt. Excutiendam itaque omnem ſocordiam, & relinquenda omnia retardantia iter ad Chriſtum, docent omnes qui eum ſecuti leguntur. Sic Petrus relinquit navem & retia, Matthæus telonium, Paulus epiſtolas Sacerdotum, Adoleſcens quidam in paſſione ſyndonem, ut ſequerentur eum. Si de mulieribus agitur, Magdalena fucum relinquit & pigmenta, Samaritana hydriam & funem apud fontem, mulieres à Galilæa eum ſecutæ propriam familiam. Sic & inter eos qui ſecuti eum ſunt in Bethleem, Joſeph relinquit ſuum in Nazareth domicilium, Reges ſuum populum; Paſtores hi ſuum gregem, immo & Angeli ipſum cœlum, ut veniant feſtinantes & expediti, & adorent eum. Sed hæc ſatis de devotione Paſtorum, nunc & de alijs tranſeuntibus in Bethleem agendum.

*Eccl. 22.*

PARS III. *De ſpirituali piorum trãſitu in Bethleem*

TRanſiverunt in Bethleem, ut viderent verbum hoc quod fecit Dominus, omnes pij ab initio partus Virginei uſque modò. Et nonnulli quidem corpore & ſpiritu præſentes hunc locum Natalis Domini honorarunt adoratione, votis, lacrymis, quaſi myſterio intereſſent. Alij qui corpore non potuerunt frequentare illum locum, ſpiritu peregerunt, pietatem frequentem & ferventem exercentes erga hoc myſterium. Quicumq; igitur cordis devotione feruntur erga MARIAM parientem, erga JESUM naſcentem, erga Joſeph Nutritium & cuſtodem, cenſentur tranſire in Bethleem, id eſt, in domum panis. Cenſentur ibi refici à JESU ubertate panis cœleſtis, vel cum JESU lactari ab uberibus Matris.

Sic S. Auguſt. in Bethleem ſpiritu ſe tranſiviſſe ſignificat; *Non ſatiabar illis diebus conſiderare dulcedine mirabili altitudinem conſilij tui ſuper ſalute generis humani*. Propterea repræſentari ſolet in medio Crucifixi & Deiparæ Filium in ſinu lactantis, cum hac inſcriptione. *Hinc paſcor à vulnere: hinc lactor ab ubere.* *Lib: 9. confeſſ. c. 6.*

Sic S. Bernardus cunis & infantiæ Salvatoris devotiſſimus, Virgini infantem lactanti hanc orationem ardentiſſimè ſolebat offerre; *Monſtra te eſſe Matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus tulit eſſe tuus*. Unde quodam die virgineo ex ubere illi lac MARIA in os ſtillavit, ut eſſet JESU collactane⁹; & exinde mel & lac ejus è corde & lingua uberrimè promanarunt ad lactandos alios, & illos ad JESUM ac MARIAM alliciendos. Attende mel & lac ex ejus ore & corde fluens. *Ieſus Chriſtus Filius Dei naſcitur in Bethleem Iuda. O breve verbum de verbo abbreviato, ſed cœleſti ſuavitate refertum! Quis tam lapidei cordis, cujus anima non ſit in hoc verbo liquefacta? Quid annuntiari dulcius poterat, quid delectabilius commendari? Laborat affectio melliflua dulcedinis, copiam latius effundere geſtiens, nec inveniens verba; tanta ſiquidem eſt gratia ſermonis hujus, ut continuo incipiat minus ſapere, ſi vel unum iota mutavero: Ieſus Chriſtus Filius Dei naſcitur in Bethleem Iuda*. Hæc ille, ſpiritu tranſiens in Bethleem, & totum affectum ibi effundens in Infantem JESUM. *Serm. 1. Nat. Do.*

Sic & S. Fulbertus Abbas Carnotenſis JESU Infanti

fanti

ſanti & Deiparæ MARIÆ in Bethleem parienti tanto afficiebatur affectu, ut ſæpius ſumma cum dulcedine ſpiritus myſterium hoc infantiæ Salvatoris ruminaret. Unde cum quodam die æger jaceret, apparens ei per viſum MARIA, ſugenda ei dedit ubera ſacra, in compenſam amoris erga ſe & Infantem ſuum ſacratiſſimum; quem etiam teſtatus fuerat Baſilica dedicata Deiparæ, & libro in ejus laudem edito.

Sic S. Antonius Paduanus, deliciabatur cum puerò JESU, ita ut in Bethlehem ſibi videretur commorari, & è ſinu Deiparæ infantem accipere, amplecti, & cum eo diſſuaviari. Sicut Filius Dei dixerat: *Delicia mea eſſe cum filiis hominum*, ſic & vir iſte ſanctus dicere poterat: *Delicia mea eſſe cum Filio hominis*. Ideo pingitur cum libro & Infante divino ſuper librum, quia omnis ejus lectio & meditatio, omnis pia collocutio cum hoc divino erat Infante, qui etiam ei frequenter apparere dignabatur. Unde & hæc erat ejus ad Virginem precatio ordinaria: *O glorioſa Domina, excelſa ſuper ſidera, qui te creavit providè lactaſti ſacro ubere!* cujus precationis virtute in mortis articulo dæmonem à ſe propulſavit.

Denique infiniti alii ſunt, quibus MARIA Bethleëmicum ſuum Infantem mutuavit, quem ut fratrem ſuum parvulum deoſcularentur, & amplecterentur, quia ſpeciali pietate illi addicti erant. Et hi omnes quaſi Bethleëmici ſtabuli incolæ cenſendi ſunt, ibi cum MARIA in ſpiritu ſtabulantes.

*Quidam corporaliter incoluerunt Bethleem.*

Alii porro ſunt qui etiam prolixiſſima itinera è diverſis Orbis partibus inierunt, ut in loco ubi ſteterunt pedes infantis adorare poſſent, & Bethleëmitica arua vel inviſere cum pietate, vel etiam permanenter incolere. Ibi S. Hieronymus, S. Paula, S. Euſtochium, & cum illis nobilium Matronarum & Virorum turmæ vivere & mori elegerunt. Nam ibidem S. Paula tria fœminarum quibus præerat Monaſteria, ædificavit, & unum virorum, quibus præerat S. Hieronymus. Hi omnes relicta Roma, & ejus deliciis, dicebant cum Paſtoribus: *Tranſeamus in Bethleëm. &c.* Dignum eſt audire S. Hieronymum in vita ſanctæ Paulæ, ubi ſic de ea diſſerit: Ingreſſa in Bethleem, & ſpecum Salvatoris, ubi vidit ſacrum Virginis diverſorium, & ſtabulum in quo *bos cognovit poſſeſſorem, & aſinus præſepe Domini ſui*, ut impleretur illud ejuſdem Prophetæ: *Beatus qui ſeminat ſuper aquas, ubi bos & aſinus calcant*: Me audiente jurabat cernere ſe oculis fidei infantem involutum, vagientem in præſepi, Magos adorantes, ſtellam fulgentem, Matrem Virginem. Nutricium ſedulum, Paſtores nocte venientes, ut viderent verbum quod factum eſt, Herodem ſævientem, parvulos interfectos, JOSEPH & MARIAM fugientes in Ægyptum, mixtiſque gaudio lachrymis loquebatur: *Salve Bethleem domus panis, in qua natus eſt ille panis qui de cœlo deſcendit. Salve Ephrata Regio uberrima, cujus fertilitas Deus eſt.* De te vaticinatus eſt Micheas: *Et tu Bethleem nequaquam minima es in millibus Iuda.* Bene vota de te faciebat David: *Si dedero ſomnum oculis meis, donec inveniam locum Domino tabernaculum Deo Iacob*; & mox quid deſideraret, expoſuit, oculis enim prophetalibus venturum eſſe cernebat quem veniſſe credimus, & dicebat: *Ecce audivimus eum in Ephrata.* Unde loquitur poſtea confidenter: *Introibimus & adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus.* Et ego miſera peccatrix digna judicata ſum deoſculari præſepe, in quo Dominus vagiit, & orare in ſpelunca in qua Virgo puerpera infantem fudit? Hæc requies mea, quia Domini mei patria eſt: hic habitabo, quoniam Salvator elegit eam. Paravi lucernam Chriſto meo, anima mea illi vivet, & ſemen meum ſerviet ipſi. Hactenus Paula apud S. Hieron.

Iſai. 1. — Iſai. 31. — Pſal. 31.

*Ad tranſitum in Bethleem, omnes invitamur.*

Poſtremò: Tranſeamus & nos in Bethleem, quandoquidem illuc invitamur à JESU, à MARIA, à JOSEPH, ab Angelis, à Paſtoribus, ab omnibus qui illuc in ſpiritu tranſierunt. Illuc invitant nos lacrymæ infantis, fluentes de corde JESU tamquam de fonte Salvatoris: ejus oculi tanquam duo canales invitant nos ad aquas ſalutis. Cor enim ejus intra viſcera noſtri liqueſcit amore, & ideo per oculos fluit in rivulos nobis ſalutares. Invitamur ad hauriendum de ciſterna Bethleem juxta portam, cujus aquam tantoperè deſiderabat David ſitibundus & anhelus: *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna Bethleem, quæ eſt juxta portam*, inquiebat ipſe, reſpiciens lumine prophetico ad fontem hunc ſalutis oriundum ibidem in plenitudine temporis. Unde & in die Nativitatis Chriſti fons è rupe ibidem erupit, quem teſtatur Beda ad ſua uſque tempora perduraſſe, & id quidem ad ſignificationem fontis perennis gratiæ per Chriſtum exhibiti, contra fontem corruptum Adæ, ex quo hauſimus aquas turbidas culpæ & miſeriæ. Tranſeamus igitur illuc, ubi non ſolum panis eſt vitæ, ſed & aqua gratiæ, & dicamus: *Confiteor tibi Domine, quoniam iratus es mihi; & converſus conſolatus es me.* In quo cōſolatus? Quia dixiſti, & omnib⁹ annūciari juſſiſti: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Deus meus es tu, confitebor tibi, & exaltabo te, *quia feciſti mirabilia, cogitationes fideles. Amen.* Et ubi melius confitebimur ei, quam in Bethleem terra Juda; id eſt terra confeſſionis, ubi eum confitentur & glorificant Angeli & cœli, Maria & Joſeph. Paſtoreſque laudantes? Tranſeamus igitur illuc, quia ſolemne in ſacrificium contribulibus noſtris, ad quod invitat nos frater noſter parvulus, ipſe offerens, ipſe victima, ipſe Deus cui offertur. Præſepium eſt ara electa, ut ſolemne hoc ſacrificium peragatur, in quo Dei Hominis corpus & ſanguis, vita & anima offertur, ab illo qui ea pro nobis aſſumpſit. Hæc eſt Ara cœli, hæc Ara Primogeniti Dei, imo, *Ara Ignoti Dei*, quam Paulus Athenis reperit. Quis utique Deum agnoſceret in panniculis, in fœno, in præſepio? Sed agnoſcitur ab Angelis & Paſto-

2. Reg. 23 — *Beda de locis ſanctis, c. 8.* — Iſai. 12. — Iſai. 25. — Act. 17.

*Ibidem.* Paſtoribus, & adoratur in ara ſua; jamque fit omnibus Deus in carne conſpicuus, annunciantibus Angelis & hominibus, qui antea erat ignotus. Jam pateſcit quod *ipſius & genus ſumus*, quia os ex oſſibus noſtris eſt, & caro de carne noſtra.

*Templũ Bethleem ſpirituale.* Transeamus hac ſacra die in Eccleſiam, & conſideremus animo attento quæ in ea geruntur, inveniemuſque ibi veram Bethleem, ibi renovatam cernemus de die in diem Filii Dei Nativitatem. Quid enim templum noſtrum, niſi Domus panis, qui de cœlo deſcendit? Quid altare deſignat, niſi Præſepium? Quid hoſtia niſi Chriſtum? Quid corporalia & lintea alia, niſi faſcias & pannos involventes? Quid eſt vox Sacerdotis conſecrantis, niſi virtus MARIÆ parientis? Eundem enim partum, eundem JESUM, idem corpus, eundem ſanguinem ſubſtantialiter & eſſentialiter reproducit, & quodammodo parit. An non ibidem & Angeli adorantes? an non vox eorum repetitur: *Gloria in excelſis Deo*? An non ibidem lumina, claritatis divinæ indicia? Nos igitur ibi adſimus, inſtar Paſtorum, laudantes & glorificantes Deum, agnoſcentes divinum myſterium, offerentes Patri Filium Unigenitum, noviter hic genitum, ut per ejus virgineam carnem; per ejus pretioſum ſanguinem ſanctificari valeamus, & æternam gloriæ adipiſci regenerationem.

## EODEM FESTO.

*Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.* Dan. 3.

LECT. 5.

Jubilus natalitius in 3. partes diviſus.

PARS I.

*Invitatur cœlũ cum omnibus ſuis ad benedicendum Deo.*

ILluſtres illi pueri Babylonis, cum Dei beneficentiam admirabilem mediis in flammis experti fuiſſent, ut gratitudinis affectum primum, & intimum cordis ſui jubilum teſtarentur, invitant omnes creaturas, etiam inanimes, ad Dei laudem; eò quod tantæ beneficentiæ miraculoſæ & teſtes fuerant & cooperatrices. Angeli enim, ignis, ventus, ac aliæ creaturæ illis obſequium præſtiterant ſpeciale, divina id ordinante potentia & providentia. Eadem planè ratione poſſumus nos in myſterio myſteriorum ad divinam laudem creaturas omnes advocare cum ſpeciali jubilo: quia omnes ſpecialis hujus gaudii quod Chriſti Nativitas attulit, cenſeri poſſunt conſortes, tum ob renovationem quã per Chriſtum expectant in Reſurrectione; tum quod in hac unione humanæ naturæ ad Verbum omnes creaturæ cenſentur ad eamdem elevatæ: eo quod homo ſecundum aliquid participet cum omnibus creaturis, cui commune eſt intelligere cum Angelis, ſentire cum animalibus, vivere cum plantis, eſſe cum rebus aliis inanimatis. Quo ſenſu quidam ab Apoſtolo dictum putant: *Propoſuit Deus in Chriſto reſtaurare*, vel recapitulare *univerſa*, ut alibi latiùs explicuimus. Denique, cùm omnes creaturæ in aliquo myſterio Chriſti ſpecialem cooperationem & miniſterium exhibuiſſe inveniantur, meritò invitantur ad laudandã divinã potentiã & bonitatem cum homine; qui ſe agnoſcens inſufficientem ad hanc divinam laudem adjuvari optat omnium Angelorum, omniumque creaturarum voce. Nam & illæ licet inanimes, mutuo tamẽ quodam eloquio divinam prædicant potentiam & ſapientiam, non ſolum in ſua creatione, ſed & in hac per Chriſti adventum renovatione. Ideo etiam Pſaltes eas convocat cum Angelis & filiis Sion, *Cantate*, inquit, *omnis terra, omnia ligna ſylvarum, &c. quia venit, & notum fecit ſalutare ſuum.* Nos itaque iiſdem vocibus quibus tres pueri cordis ſui jubilum expreſſerunt, Natalitiam noſtram jubilationem exprimere juvabit, & invitare omnes creaturas ad canticum & exultationem. Nam ultra homines & Angelos, cœlum & elementa quadam ratione Deum benedicere viſa ſunt, per ſpecialia prodigia in eis facta in gratiam Nativitatis Chriſti; ſive illa acciderint ipſa nocte Nativitatis, ſive antea, aut poſtea.

*V. Hort. Paſt. Tr. 3. Lect. 5.*

*Pſ. 97. & 98.*

*Elementa prodigiis Chriſti Natalitia illuſtrarunt.*

Primò quidem, in cœlo viſi ſunt tres Soles, qui paulatim in unum coeuntes, unum ſolare corpus facti ſunt; per quod innuebatur Trini & unius Dei notitia, quæ mundo oriebatur per Chriſtum. De hoc prodigio mentionem facit S. Thomas 3. p. quæſt. 26. art. 3. Item Sybilla dicitur oſtendiſſe media die circa Solem aureum circulum, in quo Virgo cernebatur Infantẽ ſinu geſtans: voxque audita eſt: *Hæc eſt Ara Cœli.* Ita teſtatur Innocentius III. ſer. 2. de Nativ. ejuſque rei Romæ adhuc extat memoria. 1.

Secundò, ignis nocte Nativitatis dicitur extinxiſſe omnes vitio ſodomitico laborantes. Teſtis eſt S. Bonaventura lib. de feſtivitatibus pueri JESU. 2.

Tertiò, Aër inſolitâ claritate in nocte fulgidus, ſuo modo Deum benedixit. Stella quoque in eo producta de novo, Magos ducens, aërem quadam exultatione perfudiſſe cenſenſa eſt. 3.

Quartò, Aquæ elementum non ſine prodigio fuit & benedictione, dum Romæ fons olei ex fonte aquæ erupit, in loco ubi modo eſt Eccleſia S. MARIÆ trans Tyberim. Fontem quoque è rupe Bethleem erupiſſe, teſtis eſt Beda de locis ſanctis, c. 8. 4.

Quintò, Elementum terræ quandam lætitiam & benedictionem prodidit, dum vineæ Engaddi ea nocte floruerunt, qua Chriſtus natus eſt. Et, ſi credimus luſtratoribus terræ ſanctæ, adhuc nunc in Palæſtina propè fontem Heliſæi aſſerunt naſci roſas, quæ licet ſint planè ſiccæ, in nocte tamen Nativitatis Chriſti ſponte ſuâ paulatim ſe pandunt, & poſt eam noctem iterum ſe contrahunt. Teſtis eſt Bath. Saligniacus tom. 8. de ſcrip. terræ S. cap. 6. 5.

*Omnes creaturæ hodie ad jubilandum Deo invocantur.*

Alii alia adjungunt prodigia, quæ licet fortè ut dixi, non omnia in die Nativitatis contigerint, ſed antea, vel poſtea; tamen ad illuſtrandam illam Nativitatem, etiam prævię fieri potuerunt. Unde meritò ad laudem vocamus omnes creaturas in hoc ſacro & benedicto die. Itaque cum tribus pueris exordimur.

Bene-

*Benedicite omnia opera Domini Domino* quia ipſe Dominus novo quodam modo fieri, dignatus eſt, & numerari inter opera ſua, ut ſalvet primum opus ſuum. Factus eſt qui fecerat, ut ſalvus fieret qui perierat. *Laudate & ſuperexaltate eum in ſacula*, quia dignatus eſt fieri incola hujus ſæculi, ut fieret *Pater futuri ſaculi*: ipſe voluit ſervire ſub hoc miſerabili tempore, ut nos liberos redderet & beatos tota æternitate.

*Cœli & Angeli.* *Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cæli Domino.* Deſcendite, ô Cœli & Angeli, accedite ut adoretis Regem veſtrum jam in terris humilem, qui è cœlis deſcendit propter hominem. O primogeniti filii Dei in cœlis creati, jubilate in filio æterni Patris, qui jam factus eſt filius hominis, filius pauperis Matris, O virtutes Domini benedicite

*Pſal. 45.* Domino, quia *Dominus virtutum nobiſcum; Suſceptor noſter Deus Iacob*, qui noſtram ſuſcipiens naturam ut ſuam, in illa nos quoque ſpecialiter ſuſcipit ut ſuos. Hic eſt Deus Jacob, quem vidiſtis in ſcala myſtica, quando aſcendebatis & deſcendebatis. Jam per ſcalam & gradus aſſumptæ humanitatis ad nos deſcendit, ut per eandem aſcendamus ad conſortium uſque divinitatis. Et vos igitur exultate nobiſcum, aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis per ſpeciale miniſterium in gratiam noſtram.

*Sol, Luna & Stella Cœli.* *Benedicite Sol & Luna Domino, benedicite ſtellæ Cœli Domino.* Novus Sol ortus eſt, nova Luna nobis eſt generans Solem; novæ ſtellæ æternæ lucis conſortes generabuntur, ut cœlo jugiter fixæ fulgeant in perpetuas æternitates. *Numera ſtellas Cæ-*

*Gen. 15.* *li ſi potes, ſic erit & ſemen tuum*, dicebat quondam Deus Abrahæ. In filio Abrahæ jam orto novum ſemen multiplicabitur, cœlo inſtar ſtellarum inſerendum, ideo benedicite Sol, Luna, & Stellæ, Et tu ſpecialiter, ô ſtella nova Orientis, quæ Deum tuum agnoviſti & prædicaſti, ſemenque novum ei aduxiſti. Benedicite Sol & Luna in illius ortu, in cujus debetis lugere occaſu.

*Imber, ros & ſpiritus Dei.* *Benedicite omnis imber & ros Domino, benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.* Utique benedicite, quia rorarunt cæli novum rorem, ut terra germinaret fructum ſuum. Benedicite, quia adeſt novus ille.

*Ioël. 2. Deut. 32. Pſal. 71. Iud. 6.* Doctor juſtitiæ qui *deſcendere faciet imbrem matutinum & ſerotinum*, ut omnia ubertate repleantur. Benedicite, quia *ſicut imber ſuper herbam, ſicut pluvia in vellus* deſcendit Dominus in virgineum uterum, & poſtmodum cœleſti iſto rore deifico tota area, tota Eccleſia perfundetur. *Benedicite omnes ſpiritus Dei Domino*, hoc eſt omnes venti ſpirantes & perflantes Orbem, quia ecce Æolus veſter, ecce is qui imperat ventis & mari, eoſque tenet in manu ſua, ut cum voluerit, fiat tranquillitas,

*Ignis, æſtus frigus, æſtas, &c.* aut tempeſtas. Denique benedicite, quia ecce is qui ubi vult, ſpirat, & peccati corruptum aërem efflans, gratiæ ſuæ ſuavem auram afflat.

*Benedicite ignis & æſtus Domino, benedicite frigus & æſtus Domino, Benedicite rores & pruina Domino, benedicite gelu & frigus Domino, benedicite glacies & nives Domino.* Ignis & æſtus meritò illi benedicere debetis, qui novum ignem venit mittere in terram, & ardentem amoris æſtum in cordibus accendere tepidis. Meritò quoque frigus & glacies illi debetis benedicere; quia incipit; mox ubi ortus eſt, frigus pro ſalute hominum tolerare, mox voluit pruinam & guttas noctium in præſepio perſentiſcere. Poſtmodum æſtum etiam experiri volet, & quodammodo illum ſicut & frigus in corpore ſuo ſanctificare, dum æſtu fatigatus jacebit ſitiens apud puteum Samaritanæ.

*Benedicite noctes & dies Domino, benedicite lux & tenebræ Domino.* Vos quaſi alternis choris & choreis gloriam ejus decantate, qui in media nocte exoriens de tenebris dixit lucem ſplendeſcere. O nos fæcunda myſteriis, & filiis Dei celebris in finē uſque ſæculi, cujus memoriam recolentes, media nocte ſurgent ad confitendum Domino, & effundendum cor ſuum coram illo; O nox nobis fœlix. Deo ſe nobis Ducem exhibente in columna ignis, hoc eſt in luce divinitatis! O dies nobis fœlix, Deo ſe nobis Ducem exhibente in columna nubis, in roſcidâ & umbroſâ nube humanitatis! Sic nimirū divina ſapientia omnia temperavit, ne & nimiâ luce excæcaremur, & tamen divinitatis fulgore umbrâ carnis noſtræ veſtito illuminaremur, ducere- *Nox, dies, lux & tenebræ.*

mur, protegeremur. Ergo & vos, *ô fulgura & nubes benedicite Domino*, dum divinitatis ignem fulgurantem nubes veſtit humanitatis. Ecce enim Dominus *aſcendit ſuper nubem levem*, *& ingreditur Ægyptum* noſtram tenebroſam, tenebras fugaturus, per rimas aſſumptæ carnis Deitatis luce inſtar fulguris coruſcante. *Benedicite fulgura & nubes Domino*, quia ejus myſteriis eſtis cooperaturæ in ejus Baptiſmo, Transfiguratione, Aſcenſione. *Fulgura & nubes. Iſai. 19.*

*Pars II. Terram & aquā ad benedicendū Deum producit. Terra.*

B*Enedicat terra Dominum*, quia terra noſtra dedit fructum ſuum, aperta eſt, & germinavit Salvatorē noſtrum: Benedicat terra Dominum, attactu infantis hujus divini in ejus partu ſanctificāda, ejus veſtigiis ſacris inſignienda, ejus tandem ſanguine conſecranda, ejus corpore in ſepulchro quadam ratione deificanda. *Benedicite montes, & colles Domino*, quia ecce venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles de Nazareth in Bethleem proficiſcens, mōtibus & collibus, & omnibus germinibus ejus benedicens. O montes & colles benedicite illum jam natum, quem mox videbitis per vos fugientem in ægyptum, poſtea videbitis in verticibus veſtris orantē, docentem, transfigurantem ſe, aſcendentem, & alia ſua myſteria operantem. Benedicite ligna germinantia in terra Domino, cui primum lectulum exhibuiſtis in præſepio, cui & thronum exhibebitis & ſceptrum, quando regnabit à ligno. *Montes & colles.*

*Fontes.* *Benedicite fontes Domino*: En fons olei in nobis ortus, fons ſalutis & unctionis, fons patens domui David, fons aſcendens & exundans in medio Paradiſi, ut omnes accedant, hauriant, bibant, & in æternum non ſitiant. En fons Betthleemicus,

 fons

fons myſticus, ab illo deſignatus, qui ea nocte quâ natus eſt Dominus, è rupe Bethlemitica eſt enatus. Ab illo quoque qui Romæ trans Tyberim fudit oleum toto die. Benedicite fontes Domino, quia de vobis haurire & bibere dignabitur Dominus, agens iter hujus vitæ: dignabitur & aquam veſtram primo ſuo miraculo in vinum convertere, ſicque vos honorare Dignabitur denique lavandis diſcipulorum pedibus fluenta veſtra impendere in fine vitæ. *Benedicite maria & flumina Domino*, quia jam nobis ille natus eſt, qui *dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad fines orbis terræ*. A flumine Jordanis (illius fluentis Baptiſtæ manu perfuſus) inchoabit Dominium quoddã ſpirituale, per aquam propagandum in fines orbis terræ, uſque in ſæculum ſæculi perdurante ſacro baptiſmate. Benedicite igitur flumina & aquæ omnes Domino, ab illo ſanctificandi vim habentes.

*Maria & flumina,*

*Benedicite cete & omnia quæ moventur in aquis Domino.* Ecce natus eſt nobis ille qui in Jona quem vivum reddidiſtis, figuratus fuit. Ecce, ô piſces maris, is qui ab initio vobis benedixit, cui & in cibum ſervietis, & didragma miraculosè ſolvetis. Quandoquidem igitur is tot modis & toties vobis benedixit, vos quoque illi benedicite, & in ejus adventu exultate.

*Cete & quæ in aquis ſunt.*

*Volucres Cœli. Pſ. 101.*

*Benedicite omnes volucres Cœli Domino*, quia ecce in hac Nativitate ſua. Dominus dignatur eſſe velut *Paſſer ſolitarius in tecto*, velut *Nicticorax in domicilio*. Apud illum in ſtabulo Bethleemitico paſſer ſpiritualis inveniet domum, & Turtur nidum ſibi ubi ponat pullos ſuos, ubi pias ſuas cogitationes & affectus collocet. *Benedicite omnes volucres Cœli Domino*, quia Dominus per Nativitatem terrenam, aſſumpto corpore & ſanguine ſimilis Pellicano factus eſt, pullos ſuos proprio vivificaturus & nutriturus cruore. Similis factus eſt & Aquilæ, *provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, aſſumens eos in humeris*, *ut Dux eis ſit* in ſublime, & ut ad perfectionem doceat eos evolare. Benedicite omnes volucres Cœli Domino, & cum columba ejus adventui congratulantes, ſuper illum deſcendite; benedicite illum, ab illo olim benedictæ. Benedicite volucres cœli Domino, quia pro eo in die Præſentationis ſuæ in templo eſtis offerendæ.

*Deut. 32.*

*Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino*, & cognoſcite poſſeſſorem veſtrum; & præſepe Domini veſtri cum bove & aſino. Benedicite omnes Agni Domino, quia ecce venit Agnus Dux gregis pro ſalute totius gregis immolandus: Ecce enim Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Benedicite cervi Domino, quia ecce *Hinnulus cervorum qui velociſſimè aſcendet ſuper montes Bethel*, invitans omnes ad currendum, & de aquis ſalutiferis bibendum, in quibus cornu ſuum intinget, ut nullum ſit veneni periculum. Benedicite nobiſcum Leones nemorũ Domino, quia advenit *Leo de tribu Iuda, Radix David*, ut vincat & aperiat librum myſticum ejuſque ſignacula diſſolvat, & quid libro contineatur nobis aperiat.

*Beſtiæ & pecora.*

*Cant. 5.*

*Pars III.*

*Homines & animæ juſtorum ad jubilandum Deo provocantur.*

**B***Enedicite filii hominum Domino*, quia Dominus dignatus eſt fieri filius hominis, qui Filius erat Dei vivi. Et propter hoc vult Filius hominis fieri terrena generatione, ut vos fiatis Filii Dei æterna nativitate. O filii hominum, benedicite Dominum, quandoquidem ipſe dicat; *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* O filii hominum, uſquequo gravi corde? Uſquequò cor ad terrena deprimitis, quandoquidem Filius Dei ad hoc venit, ut illud ad cœleſtia erigatis? O filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium, quandoquidem Filius Dei ad hoc venerit, ut vos doceat veritatem, & in ſupernis ſolidum quærere bonum? Benedicite igitur filii hominum Domino, quia Pater benedixit vos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto ſuo, in filio ſuo benedicto. Benedicite Domino, & toto corde dicite: *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

*Pſ. 4.*

*Eph. 1.*

*Iſraël.*

*Pſal. 23.*

*Benedicat Iſraël Dominum laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.* O veri Iſraëlitæ, quærentes Dominum, quærentes faciem Dei Jacob, jam accepiſtis benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari veſtro; ideo illum benedicite, illum laudate, illum ſuperexaltate; & quidem in ſæcula; quia in ſæculorum ſæcula manet benedictio ejus. Jam datur vobis cum Jacob poſſe in hac nocte cum eo uſque mane luctari, & invaleſcere, & benedictionem perennem impetrare. Jam datur unicuique cum Jacob Iſraël nominari, hoc eſt, videns Deum: Poteſtis enim dicere cum ipſo: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Ecce enim ejus facies in carne infantili amabilis, ſalutem omnibus afferens, cernendam ſe piis omnibus offerens; quæ olim erat terribilis; quia omnes terrens, & mortem impiis inferens. Adeſto igitur, ô Iſraël, & in hac domo Bethleemitica benedic, & adora Dominum vagientem, quem metuebas in domo ſua æterna fulgurantem. O Iſraël, *quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus*, dicebat olim Propheta. At hodie tibi dicimus: O Iſraël, quam parva eſt domus Domini, quam exiguus locus poſſeſſionis ejus! Non eſt ei domus aut tectum, niſi ſpelunca in rupe; non eſt ei locus in diverſorio; non habet aliud ubi tenellum corpuſculum quieſcat; niſi præſepium commune; *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Sed hic propter te, ô Iſraël, vult humiliari, ergo illum benedicere debes, & ſuperexaltare.

*Gen. 32.*

*Baruc. 3.*

*Luc. 9.*

*Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite ſervi Domini Domino* Venite, & videte ô Sacerdotes, ſummum Sacerdotem ſtolâ candidâ noſtræ humanitatis indutum, ſui ſacrificii primitias immolantem, ſeipſum in hoſtiam vivam, ſanctam, beneplacentem, Deo & Patri offerentem. Conſiderate præſepium, tamquam aram primam hujus ſacrificii

*Sacerdotes & ſervi Domini.*

ficii matutini, in qua Agnus virgineo vellere amictus offertur, Agnus qui tollit peccata mundi, qui etiam ſimul eſt victima & Sacerdos, ſacrificans & ſacrificium. Et quidem hoc ſacrificium, quod perfecti eſt holocauſtum amoris, ſufficiens erat ad reconciliationem totius mundi; ſed vult illud perficere & conſummare in Cruce, ut ſit copioſa apud eum redemptio. Interim in hac voluntate, quâ ſe in mundum veniens patri pro nobis obtulit, ſanctificati ſumus. Benedicite igitur Sacerdotes, benedicite omnes ſervi Domini, quia natus eſt vobis Chriſtus, unctus ut Rex, ut Propheta, ut Sacerdos; & cùm ipſe omnium ſit Dominus, vos ſervi ejus ſpeciale obſequium ſervitutis offerte cum *Pſal. 2.* exultatione; *Servite ei in timore, & exultate ei cum tremore*, adorantes, benedicentes, glorificantes cum Angelis, cum Magis, cum Paſtoribus, cum Simeone Sacerdote. Benedicite quoque cum *Luc. 1.* Zacharia, & dicite: *Benedictus Deus Iſrael, quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ.*

*Spiritus & animæ juſtorũ.* *Benedicite ſpiritus & animæ Iuſtorum Domino.* Non ſolum ſpiritus & animæ corpori conjunctæ, ſed & ſpiritus & animæ à corpore ſeparatæ, in limbo vel purgatorio carcere detentæ Dominum glorificate, venientem ut vos è tenebris liberet, & è carcere. En in præſepio faſciis colligatur, ut omnia vincula diſſolvat; vobis ergo ſpecialis gaudii ſeges eſt, quia jam libertati appropinquatis & lumini, qui in tenebris & umbra mortis ſedebatis vin- *Eccl. 24.* cti. Etenim *penetrabit omnes inferiores partes terræ, & inſpiciet omnes dormientes, & illuminabit omnes* *Iſai. 49.* *ſperantes in Domino.* Atque etiam de eo dicit Pater æternus: *Dedi te in fœdus populi, ut ſuſcitares terram, & diceres his qui vincti ſunt: Exite; & his qui in tenebris: Revelamini.*

*Sancti & humiles corde.* *Benedicite etiam omnes Sancti & humiles corde Domino*, quia adeſt in medio veſtri Sanctus Iſraël, qui amat cordis puritatem & ſanctitatem, amat & ſanctitati confœderatam cordis humilitatem. Unde ſeipſum in præſepio oſtendit perfectiſſimum exemplar humilitatis & puritatis, ut illuc omnes *Matt. 11.* accedant, & primam ejus vocem audiant: *Diſcite à* *Matt. 5.* *me, quia mitis ſum & humilis corde.* Beati mundo corde, quoniam ſic ipſi Deum videbunt. *Pellucet enim divinitas per humanum corpus, perinde ac lux quædam per vitream capſulam, eos illuminans, qui oculos cordis mundos habent*, inquit Baſilius hom. de Nativ.

*Benedicite Anania, Azaria, Miſaël Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.* Utique benedicite & laudate Chriſtum hodie nobis natum, vobis olim aſſociatum in fornace in medio flammæ, ut vos liberaret ab aduſtione & nece. Hinc enim viſus eſt ab ipſo Rege obſtupeſcente; & optimatibus ſuis dicente: *Nonne tres viros miſimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* Quis alius ille quartus ſimilis Filio Dei, niſi ipſe Chriſtus Liberator & Salvator, qui jam tum ante ſumptam naturā humanam ejus ſimilitudinem induerat, & ſe quodammodo ad futurum Redemptoris officium exercebat? *Sic docent aliqui ex SS. Patribus.* Annon ergo meritò, ô tres pueri, benedicere & laudare debetis Liberatorem & Salvatorem veſtrum, & præire tres Paſtores, præire tres Reges in hac laude? Equidem benedicite, & nos ad benedicendum illi adjuvate, ut in hac Babylone, in hoc camino ignis & confuſionis, ab ardore concupiſcentiæ nos protegat, qui ad noſtram deſcendere dignatus eſt Babylonem.

*Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu, laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.* Benedicamus Patrem, quia *ſic dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* *Ioan. 3.* Benedicamus Filium, quia venit *non ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*. Benedicamus Spiritum ſanctum, quia per Chriſti ortum ejus gratia in nos abundè eſt effuſa. Per ſacram enim ejus Nativitatem adepti ſumus ſpiritum adoptionis, *in quo clamemus. Abba* *Rom. 8.* *Pater, hæredes Dei, cohæredes Chriſti.* participes ſpiritus divini. Benedicamus ergo Patrem, tamquam ejus filii; benedicamus filium JESUM, tamquam ejus fratres; benedicamus Spiritum ſanctum, tamquam communicationem cum eo habentes. Benedicamus Patrem, tamquam ab ipſo benedicti, benedicamus Filium, tamquam in ipſo benedicti; benedicamus Spiritum ſanctum, tamquam per ipſum benedicti. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula, qui propter nos fecit ſæcula, qui eſt ſuper omnia ſæcula, qui ſperare nos jubet in ſe in ſempiterna uſque ſæcula.

*Benedictus es Domine in firmamento cœli, & laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſæcula.* Equidem Domine ſis benedictus in firmamento cœli, in loco æternæ habitationis tuæ, in regno potentiæ tuæ, in ſceptro divinitatis tuæ, in throno majeſtatis tuæ, in templo gloriæ tuæ, in propitiatorio ſanctitatis tuæ: *Tu enim in ſancto habitas laus* *Pſal. 21.* *Iſraël.* Verùm etiam ſis benedictus in terra peregrinationis tuæ, in domicilio humilitatis tuæ, in throno paupertatis tuæ, in templo humanitatis tuæ in arca ſanctificationis tuæ, in propitiatorio benignitatis tuæ, in diademate mortalitatis tuæ, in ſceptro Crucis. Benedictus ſis in Bethleemica ſpelunca, in ſtabulo, in præſepio, in matris gremio in infantili involucro. Ibi uſque in ſæcula benedicat te cœlum cum ſuis Angelis, ignis & aër cum omnibus ſuis meteoris & volucribus, terra cum ſuis germinibus & pecoribus incolis, aqua cum ſuis piſcibus, filii hominum cum omnibus Sanctis & Juſtis. Et quantumlibet te benedicere & laudare conetur omnis tua creatura, agnoſcat te ſuperlaudabilem & ſuper glorioſum, quia laus tua tu es, gloria tua tu ſolus es, qui dignaris eſſe laus noſtra & gloria noſtra in ſæculorum ſæcula.

Memoria æterna dignum eſt, quod Diocletiani tyranni tempore accidiſſe refert Nicephorus Nicomediæ. Cum Natalis Domini dies fe- *Exempl.*

*Niceph. l. 7. lap. 6. Martyrolog. in die Nativ.*

ſtus adeſſet, non obſtantibus Tyranni edictis & minis, ad benedicendum Domino Chriſtiani ſancti & humiles corde turmatim in templum concurrebant, pueri ſcil. Jeſu laudes decantaturi cum Angelis, & Paſtoribus. Et rantus eorum fuit numerus, ut viginti millia in templo à Tyranno concluſa fuerint. Qui quidem omnes, immiſſo in eum locum ab impijs igne, maluerunt conflagrare, quam tantillum à Chriſtianæ fidei ſtabilitate laudibusq; divinis deflectere. Atque ipſi poterant dicere idem quod pueri Babylonici. *Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi quia Deos tuos non colimus.* Ambulabant ergo & hi in medio flammæ laudentes & benedicentes Domino, ſuorumq; corporum velut incenſum & holocauſtum odoriferum offerebant in igne, in honorem pueri Jeſu nati, ab ipſo mox coronati: De his Martyrol, Roman. ſic habet: *Nicomediæ paſſio multorum millium Martyrum qui cum in Chriſti Natali ad Dominicum conveniſſent, Diocletianus Imp. januas Eccleſiæ claudi juſſit, & ignem circumcirca parari, tripodemq; cum thure præ foribus poni, ac præconem inclamare, ut qui incendium vellent effugere, foras exirent, & Iovi thus adolerent. Cumq; omnes unâ voce reſpondiſſent, ſe libentius pro Chriſto mori, igne conſumpti, eo die naſci meruerunt in Cælis, quo Chriſtus pro ſalute mundi naſci dignatus eſt.*

## DIE CIRCUMCISIONIS DOMINI

## LECTIO V.

Thema. *Viſitavit nos Sol Oriens ex alto,* &c.

*Pro I. die anni explicatur hic xeniũ Chriſto offerendum, Heliotropiũ, ſive flos Solis. Diverſæ arbores diverſis Diis dicata.*

SOliti fuere Gentiles offerre Dijs ſuis variarum arborum vel fruticum frondes & ramos, in ſpecialis honoris ſignificationem, quaſi Dij ſpecialiter arbores illas ſibi dicatas gratasq; haberent. Sic Jovi ramos æſculi offerebant, quæ eſt arbor glandifera inſtar quercus, cujus fructu homines in primæva ætate veſcebantur. Minervæ dicabant ramos olivæ Veneri offerebant myrrhum, Baccho hæderam vel pampinos, Herculi ramos populeos, Apollini, ſive Soli, ut antea diximus, ſacrificabant cum ramis lauri. Hiſce coronabant ſua tempora, & victimas, ac idola ſua, ſive aras, dum ſacrificantes accederent, immò & ipſos aſtantes. chriſtus porro in hunc mũdum veniens omnes hos Deos Deasq; excluſit, verus ipſe Deus, cui cœlum & terra, omniaq; obediũt elementa. Quapropter ſi terra flores, frondes, frutices & arbores producit; ipſi producit, quem ſuum agnoſcit Auctorem & Creatorem. Hinc etiam in gratiam Nativitatis ſuæ nonnulla edita ſunt miracula in florib⁹ & fructibus terræ. Audi ex illis pauca

*Miracula in floribus & fructibus edita in gratiam Nativitatis Chriſti.*

Refert Bartholomæus, Saligmacus, Adrichomius, & alij terræ Sanctæ deſcriptores & luſtratores prope fontem Jericho, quem ex ſalſo dulcem reddidit Eliſæus in ſpinoſis arboribus pulcherrimos naſci flores, quas Roſas Jerichuntinas vocant: illasque id habere gratiæ, ut nocte Natalis Domini ſeſe aperiant & pandant ſponte ſua, & poſt eam noctem iterum ſe contrahant & concludant, licet ſiccæ ſint & aridæ: idq; videtur fieri in teſtimonium Virginei partus, inquit Adrichomius. A multis etiam traditur, quod ea nocte qua Chriſtus natus eſt, Vineæ Engaddi floruerint. Certè B. Virgo comparatur. *Plantationi Roſæ in Iericho,* & Chriſtus *Botro Cypri in vineis Engaddi,* in Cantico Canticorum.

*4. Reg. 2. Eccli. 24. Cant. 1.*

Refert quoq; Joannes Nider Ord. Præd Vir eruditus & fide dignus, prope civitatem Nuremburgenſem in Germania in Diœceſi Bambergenſi creviſſe, & multis annis in vigore permanſiſſe arborem poma inſtar aliarum in autumno ferentẽ; ſed & annuatim in media hyeme, in ſanctiſſima nocte Nativitatis Chriſti, parvula poma germinabat; & quidem miro prodigio, nec antea nec poſtea id cõtingebat. Solebantq; ex civitate Nurẽbergenſi plures advenire, & tota nocte vigilare, ut rei veritatem comprobarent. Addit: *Vidi & ego præſentari in oppido Forchem unum ex illis pomis Generali noſtro Ord, Prædic. Bartholomæo Texerij* Hæc ipſe.

Dicit vero oſtentum illud patratum fuiſſe annue ob Nativitatem Chriſti, quando Virgo ſalva integritate germinavit Filium; ideoq; illo prodigio probatam fuiſſe Virginitatem Deiparæ, quam tũc aliqui hæretici impugnabant, & blaſphemijs impetebant.

Notum eſt & de B F. Ægidio S. Franciſci ſocio, tertiò terram baculo ſuo percutiente, & tria lilia educente, ad oſtendendum quomodo tamquam lilium puriſſimum Chriſtus natus ſit, Maria ante partum, poſt partum, in partu, Virgine permanente.

Itaque Chriſto recens nato, in pij animi piæque fidei ſymbolum poſſemus præſentare ramos Palmæ & Olivæ cum filijs Iſrael inclamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Offerre poſſemus & Roſas & Lilia, & Vineæ flores, & fructus pomorum; quia & ipſe dicit: *Fulcite me floribus ſtipate me malis, quia amore langueo.* Sed quoniam eum ſub nomine Solis orientis deſcripſimus, quid melius convenientiusque ei obtulerimus, quam Heliotropium, ſive Florem Solis, quandoquidem ab eo nomen ſortitur, & ei ex nativa ſua conditione dicatus jam videtur? *Cant. 2.*

Certè cuncti Flores & Plantæ Soli debent ſuum vigorem; quia ab eius luce & calore vitam habent vegetativam, virorem quoque & ſpeciem. Attamẽ hic Flos ſpecialiter FLOS SOLIS nominatur, quia ad id oriri videtur; ut illũ reſpiciat, & motu continuo intueatur, quaſi illum venerans, illique homagium quoddam mutum faciens. Certè, ſi Elephas Animal Lunæ vocari poteſt, quia ſingulis novilunijs genua flectens ad illam ſe vertit, illamque fixè intuetur: Si etiam Aquila dicitur ALES SOLIS, quia ad illum intuendum teneros inſtruit pullos ſuos, & ungue ad Solem eos ſuſpendens, ſi acie palpitaverint, tamquã adulterinos abjicit. Multò majori ra-

tione Heliotropium Florem, Solis Florem nominamus, quandoquidem ab ortu uſq; ad occaſum ad Solis radios ſemper eſt intentus, ad illos ſe vertit & gyrat, ad illius nutum ſe videtur velle ex toto cõponere, illiq; ſoli placere, illum ſequi, illum imitari nititur, dum illo oriente ſe aperit, dumq; illo occidente ſe claudit. Per nubilam etiam auram, quo ad poteſt, Solem ſic reſpicit, quaſi cum eo vivere, cum eo mori peroptans. Et licet in nubilo Sol ſeſe videatur abſcondere, illi tamen aureos ſuos floſculos oſtentat, quaſi nolens florere niſi ſub ejus auſpicijs, ut jucundius lætiusque floreat.

*Baptiſta Ferarius Orat. 25. Cornel. in 24. Eccli. v. 18.*

Eſt & Roſæ, quam Chinenſem Roſam vocant, magna cum Sole ſymboliſatio, & affinitas, ſeu cõformitas. Hanc ſic quidam deſcribit: Videas frondibus, magnitudine ac formâ Pampinos imitantibus, eam conveſtitam, è ſmaragdino dehiſcentis calicis conclavi multiplici foliorum ſyrmate regaliter explicato, in publicam lucem prodire, lucis ipſius formoſa diſcrimina ſic æmulantem quotidie ut initio quidem candidam, deinde ex candida rubentem, poſtremò ſaturo colore purpuream, hoc eſt ſimul aliam, ſimul eamdem admireris, & quotidiani miraculi novitate fateri cogaris, ad Florum Reginam, quæ tamquam Sol variæ fuco lucis diem coloret, colorum Principes viciſſim accedere tributarios.

*Heliotropiũ ſymbolum animæ piæ vel religioſæ.*

Cæterum dicamus Heliotropium, qui Filius Solis antonomaſticè nominatur, pulchrum eſſe ſymbolum animæ piæ vel religioſæ, quæ in Eccleſiæ Hortulo, vel Religionis Areola, ad hoc plantata eſt & radicatâ, ut ſit Flos Solis Æterni, hoc eſt Jeſu Chriſti, ab eo radicem, incrementum, virorem, rorem, aureumque colorem radiantem accipiens. Illi ergo omnia hæc accepta debet referre. Explicem id in particulari & practicè.

Primo quidem illum ſuum Solem debet continuò intueri, omnia vota, deſideria, intentiones, cogitationes, affectus, exercitia ad eum dirigendo, & in ejus gloriam ordinando.

Secundò ſpecialiter agnoſcere debet ſe ab illo omnia bona donaq; de die in diem recipere, & propterea nihil ſibi illorum debet attribuere tamquam ſuum; ſicut nec radicem, nec incrementum, nec virorem aut ſpeciem ſibi Frutex aut Flos attribuit, ſed cæleſti rori & Solis calori, ad cujus aſpectum exurgit in altum & verticem exigit, quaſi gratias illi agens. Sic inſpirationes, irrogationes, illuſtrationes non ſibi attribuat quiſpiam, ſed Cælo & Soli Terram cordis noſtri aridam & algidam fœcundãti, ut germen ſuum & florem vernantem in ſublime proferat, & inferne irrigata & calefacta, ſupernè proficiat in decorem.

Tertiò anima verè pia & religioſa, ceu Flos, Soli ſuo æterno ſolum debet placere, illumque ſolum adorare, illi homagium facere, illi ex intimo dicere: *Quæ ei placita ſunt facio ſemper*; ſicut ipſe Chriſtus dicebat de Patre. Quapropter nomen ejus debet eſſe Nomen illud novum, quod os Domini nominavit, VOLUNTAS MEA IN EA. Et ſecundum nomen illud, quaſi fronti & cordi inſculptum, ſe interius & exterius debet gerere, ut poſſit etiam illud dicere: *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam. Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei*. Dicat ergo anima religioſa: Ideo veni, Domine, & Religioni me addixi, ut tuam adimpleam voluntatem, renuncians propriæ meæ inclinationi & cupidini; illuſtra igitur & confirma me luce tuâ & amore, ut tuum beneplacitum in omnibus poſſim agnoſcere & perficere. Sic S. Gertrudis trecentis vicibus illud repetebat: *Non mea ſed tua voluntas fiat Domine.* Sicq; floridum conficiebat Roſarium ex Roſis & Floribus ſolaribus, illos venuſtans aureo decore perfectæ reſignationis.

*Ioann. 8.*

Quartò debet ſe ſemper convertere ad radios Solis ſui. Hi Radij ſunt, humilitas, benignitas, caſtitas, charitas, puritas, obedientia, zelus, temperantia, ſapientia, pietas & ſanctitas, quæ ab ejus ortu uſque ad occaſum mirè in ipſo effulſerunt, & intuentes ſe, etiamnum mirè exhilarant & illuſtrant. Hos radios lucidiſſimos debet mens pia & religioſa ab hoc Sole cum luce ſua mutuare, & non ſolum aliquo exiguo tempore, ſed continuò ad mortem uſque & occaſum in illis perſeverare, ſuum imitando Solem: *Gloria magna eſt ſequi Dominum*, ait Sapiens. *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris vitæ*, inquit Sol ipſe. Ac ſicut Heliotropium flores ſuos ipſi tantummodò Soli expandit, ſic decet deſideriorum & affectuum ſanctorum folia & frondes expandere non vento vanitatis, ſed luci veritatis, nec inconſtanti Lunæ ſæculi ſeſe variantis, ſed Soli ſtabili æternitatis, ut feliciter & jucundè floreant ſub ejus auſpicijs, & eos deauret auro lucido perfectæ charitatis.

*Eccli. 2?*
*Ioann.*

Quinto. Quandoquidem Chriſtus Sol noſter eſt, oportet per omnia ei conformari. Oportet cum illo naſci, circumcidi, in templo offerri, Ægyptum adire, Nazareth & Jeruſalem ſæpe venire, & cum ipſo puero purè converſari, divinitatiſque radios jam ſpargere, inchoantem piè contemplari. Oportet cum ipſo lavari in baptiſmate, columbam deſcendentem ſuſcipere, vocem Patris audire, & illi obedire. Oportet cum ipſo jejunare, vigilare, orare, transfigurari in monte, prædicationiſque & doctrinæ laboribus continuo intereſſe, & fructum ex illis elicere. Oportet cum ipſo cœnam inſtituere, paſcha magno deſiderio manducare, divinas laudes canere, ad mortem ſeſe diſponere, & ad Patris æterni voluntatem conſummandam ſeſe offerre. Oportet cum ipſo humiliare ſe, triſtari, pati, crucifigi, ſpinis coronari, & libenter commori ac ſepeliri. Oportet cum ipſo rurſus novo Oriente renaſci & reſurgere, quæ ſurſum ſunt, quærere & ſapere, de regno Dei tractare, aſcendere, & in cœleſtibus jam mente conſedere. Hæc ſunt itinera Solis noſtri, hæc veſtigia quibus inſiſtere oportet, ſociamque & comitem ſe jungere. Hic eſt circulus annuus, quem oportet meditatione cordis ſeriâ, & pio

exer-

exercitio mentis continuò percurrere. Hunc nobis proponit circulum & curriculum Eccleſia, de die in diem, de anno in annum, varijs feſtivitatibus varia repræſentans vitæ ac mortis Chriſti myſteria, mentis noſtræ oculis contemplanda & cordis labijs ruminanda. Sic vult ut hunc Solem noſtrum in cordis noſtri meditullio imprimamus velut in ſpeculo, & moribus quoad fieri poteſt exprimamus illum imitando. Vult ut coram facie eius ſemper nos ſiſtamus, cum illo volvamur continua & perſeverante pietatis revolutione, nec mentis oculos unquam ab eo deflectamus, ſed ſemper de nobis verum ſit: *Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea faciem tuam Domine requiram* Sic verè FLOS SOLIS efficietur Mens noſtra. Pſal. 26.

Hæc debet eſſe profeſſio veſtra, ô Chriſtianæ & Religioſæ animæ, quam initio anni ſeſe renovantis oportet ſedula & ferventi mente renovare, propoſito ſtabili recenter firmare, & perſeveranter tenere, quaſi jam cum veſtro Sole oriremini de novo, ut cum illo oculos claudatis in morte. Hunc ergò FLOREM SOLIS à me vobis propoſitum, & in Xenium ac Strenam oblatum in conclave veſtrum vobiſcũ reportate, ut in illo quaſi in Speculo vos valeatis intueri, & quid ſit muneris veſtri plenius agnoſcere. Attendite, an ſicut ille radicem habeatis, creſcatis, floreatis, vigore Solis vos reſpicientis, & intuitu ſuo vos adjuvantis, corroborantis, exornantis. Videte an etiam correſpõdenter eum fixo intuitu reſpiciatis intentione ſincera, cogitatione pia, eloquio recto, devotione continua. Attendite; an ſequi eum jugiter deſideretis, etiam per nubilum radios ejus requirendo & ſectando, & illi ex integro ſe conformando. An vivere ſub illo, & mori cum illo, ad ejusque nutum omnia peragere, & cum illo in gyrum verti & reverti, quandocunque & quomodocunque ſit veſtra reſolutio & firma animi ſententia.

Felix anima quæ dicere poteſt Chriſto in ſinceritate & veritate: Tu es unicus Sol meus, lux mea, claritas & ſplendor meus. Tu es unicum objectum amoris mei, ſubjectum laudis meæ, centrum cordis mei, ad te omnia mea deſideria, omnes affectus mei tendunt. Ad radios tuos aureos & purpureos continuò adſpicit oculus mentis meæ, quia ſine te in tenebris ago in caligine, in nubilo, dum autem ades tota ſum in luce & jubilo. Tu es ſpes & fiducia honor & gloria mea, divitiæ & poſſeſſio mea, poſſeſſio & hæreditas, fruitio & voluptas. Tu pax, quies & tranquillitas mea, totumq; bonum & oblectamentum, illuminans me à Montibus æternis: ut tandem perfectè videam te Lumen in Lumine.

O piæ & religioſæ animæ, ſi ſincerum fovetis affectum erga Jeſum Chriſtum qui per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitavit vos Oriens ex alto, hæc ei non tam oris apertione, quam cordis profuſione pronuncianda ſunt, ejus luci omnes in intimis penetralibus feneſtras cum jubilo expandendo. Rogate ergo quam humillimè & affectuoſiſſimè his anni auſpicijs, ut Sol ille veſter plantet FLOREM ſuũ aureum in medio cordis veſtri, & ſpargat Lucem ſuam amabilem nimis, qua vos illuſtret, afficiat, accendat novo fervore, ad ſoli illi placendum. Rogate id per viſcera illa miſericordiæ, in quibus ortus ex alto, per Incarnationem ejus ſanctam, per Nativitatem amoroſam, per Infantiam puram & lucidam, per Circumciſionem purpuream, per rorem ſanguineum, per omne quod ei pretioſum eſſe poteſt & acceptum in ſuo ad nos adventu luminoſo.

Ita, ô Chriſte JESU, qui Dominus & Deus noſter es, Sponſusq; animarum ſpecioſiſſimus, inſtar Solis procedens de Thalamo & Solio tuo Virgineo, miſerias noſtras diſpelle, & conſolare ſplendidiſſimis tuis radijs, noſtrasq; diſſipa funeſtas & triſtes tenebras. Eſto nobis unicus Sol, unicum gaudium, & lætitia cordis noſtri, unica poſſeſſio & opulentia, unicus honor & gloria, unicum & totum bonum in hoc & futuro ſæculo. Effice ut ſimus inſtar FLORIS AMABILIS à te plantati per te creſcentis, in te floreſcentis, tecum orientis, tecum morientis, ſemper fixo intuitu te reſpicientis, & ad te toto deſiderio & affectu tendentis, ut poſſimus ſincerè & verè illud pronunciare: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ille me illuſtrat, ille me reſpicit, ille dirigit & gyrat ut Sol meus: ego quoq; illum reſpicio, illi intendo, illius voluntati ſervio, illius gloriæ ſtudio; illi gratias continuò ago, illi omne bonum meum acceptum refero. Ita fiat per te in nobis, ô Sol noſter amantiſſime, qui æterno dignus es amore: gratiæ tuę beneficentiſſimam lucem numquam à nobis ſubtrahe, ſed illam adauge, ut feliciter ineuntem annum quaſi coronam benignitatis tuæ valeamus te benedicente inchoare, ac felicius finire, tandemq; ad lucem indeficientem beatæ æternitatis tuæ pertingere.

OMnes electæ animæ in hunc Solem fuere intentæ, & illi familiares, ac in ejus contemplationem quandoque abſorptæ. Audi ſpecialiter de S. Lutgarde, de qua ſic ſcribit Thomas à Cantiprato, olim Suffraganeus Cameracenſis, & hujus Virginis Confeſſarius: Interroganti cuidam amico ſpirituali cujuſmodi Chriſti faciem videret in contemplatione, reſpondit: *In momento apparet mihi ſplendor inæſtimabilis, & inſtar fulguris video ineffabilem ejus glorificationis pulchritudinem, quæ niſi raptim ſubduceretur ab aſpectu contemplationis meæ, mortalis hujus vitæ imbecillitas eam ferre nullo modo poſſet. Poſt eum autem fulgorem manet ſplendor intellectualis, & cum illo quæro eum, quem raptim videram, ſed non invenio.* Itaq; dicebat oculos Chriſti tam ineffabili coruſcare ſplēdore, ut ſi ſplendor ille Solis lumini infunderetur, in infinitum amplius ille Solem obſcuraret; quam Solis radij ſtellarũ lumen obtegant. Religioſus quidam Sacerdos ſcire cupiebat, quid ſibi vellent illa verba: *Pulchriores ſunt oculi ejus vino.* Vidit ergo in ſacro calice, divina myſteria celebrans, Chriſti faciem ejusque oculos tanto lumine radiantes, ut mundum univerſum, Exempl.

etiam in mediis tenebris, longe uberius quam vel mille Soles poſſent illuſtrare. Nec facile credi poſſet, quanto arſerit Lutgardis Chriſtum videndi deſiderio. Hæc Cantipratanus, ſecretorum Lutgardis conſcius. Vide Surium Iunii 16.

LEC. 7. tripartita

## DE CIRCUMCISIONE DOMINI.

*Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c.* Luc. 2.

PARS I. *De Circumciſionis præcepto, & an Chriſtum obligarit. Cur hæc dies ſit celebris.*

HOdiernus dies nobis celebris eſſe debet multiplici titulo. 1. Quia rememorat feſtivæ Nativitatis diem octavum, eſtque gaudii ex illa exorti velut complementum. 2. Quia novi anni primum nobis diem initiat, quem fælici & ſacro auſpicio inire debemus. 3. Quia circumſione Domini & primâ ſanguinis ejus effuſione conſecratus eſt. 4. Denique, quia diviniſſimi nominis IESV impoſitione cælo & terra eſt fulgidus. Fælix quidem dies iſte, ſed partim dolore, partim gaudio mixtus: Dolor pateſcit in carnis vulnere & circumciſione, in ſanguinis cruenta effuſione: gaudium ſe miſcet in redemptionis initiatione, & glorioſo Salvatoris nomine. Nullum diem Chriſtus hac in vita habere voluit adeò lætum & ſuavem, quin aliquid amaritudinis admiſcuerit & doloris, ut & alium etiam nos non promitteremus hic nobis. Si lætus eſt dies Nativitatis ejus, cœleſti luce promicante, & Angelica harmonia reſonante; lacrymis tamen mixtus eſt & vagitibus, frigore & paupertate tædioſus. Si lætus eſt dies adorationis ejus, Magis advenientibus cum theſauris; mirrha tamen cum donis mixta eſt, amaritudinis ſymbolum & memoriale mortis. Si lætus eſt dies oblationis in templo, attamen Simeon lætitiæ admiſcet prædictionem gladii doloris. Si lætus eſt dies Transfigurationis, ſpecimen exhibens beatitudinis, & gloriæ; Moyſes tamen & Elias loquebātur cum eo de exceſſu doloroſæ Paſſionis ejus. Lætus ergo hic dies eſt, anni primus, nomine Ieſu auſpicatiſſimus: compaſſione tamen dignus ob aſperſionem cruoris, ob cultrum circumciſionis. Porro ut divini hujus pueri plenius intelligamus Circumciſionem, pauca ſunt nobis de Circumciſionis inſtitutione prælibanda.

*Nullum diem habuit Chriſtus lætum ſine amaritudine.*

*Circumciſionis & Baptiſmi convenientia.*

Circumciſionem accepit à Deo populus antiquus per Patrem ſuum Abraham, ad ſimilem ferè finem ad quem poſtmodum nos per Chriſtum inſtitutum habemus Baptiſmum. Sicut enim per Baptiſmum, ac per illius characterem indelebilem animæ impreſſum, deſtinguuntur Chriſtiani ab infidelibus: Ita olim filii Abrahæ per ſignaculum Circumciſionis in corpore, diſtinguebantur à Gentilibus & incredulis populis. Atque ideo in generationis membro illud ſignum diſtinctivum poni voluit Deus, ut eſſet ſignum fidei Abrahæ, qui credidit Chriſtum ex ſe naſciturum ſecundum carnem; & ſic voluit omnes ejus poſteros, omnes ejus verè filios, ejuſdem eſſe fidei ſectatores per idem ſignum. Propterea dicitur: *Circumcidetis carnem præputii veſtri & erit ſignũ fœderis inter me & vos* Præcipuum autem fœdus inter Deum & Abraham fuit, quod Deus illi promiſit Meſſiam ex ſemine ſuo oriundum, & ipſe tunc credidit Deo, & ei reputatum eſt ad juſtitiam. Vnde dicitur: *Signum accepit Circumciſionis, ſignaculum fidei*, illius ſcil. quia credidit Chriſtum ex ſemine ſuo oriturum. Deinde, ſicut in Baptiſmo remittitur nobis originale peccatum; ita etiam Circumciſio inſtituta fuit in remedium peccati originalis. Ideo iterum in membro generationis ſignum illud ponitur, quia per actum generationis carnalis peccatum originale in poſteros Adæ traducitur. Denique, ſicut in Baptiſmo nomen pueris imponitur ſic & olim in Circumciſione impoſitum fuit. Cujus rei etiam ſpecialem rationem habebant; quia quando data fuit Abrahæ circumciſio, nomen mutatum ei fuit. Antea enim vocabitur *Abram*, poſtea dictus eſt *Abraham*. Notantque Hebraicæ linguæ periti, additam fuiſſe ejus nomini litteram *He*, quæ deſumpta eſt ex Tetragrammato Nomine Dei, quod ineffabile dicitur. Et ſignificat *He* littera, Hebræis idem quod *Vita*. Quapropter in iſtius litteræ adjectione deſignabatur myſterium incarnationis, quod ſcil. caro Salvatoris (de quo dicitur, In ipſo vita erat) ex Abraham eſſet proceſſura. Adde, quod ideo in Circumciſione (uti & modo in Baptiſmo) nomen imponebatur, quia parvuli tunc cum ſolemnitate offerebantur Deo, & velut cœleſti hæreditati inſcribebantur, ac de populo Dei cenſebantur.

Gen. 17.

Rom. 4.

*Differentia Bapt. & circumciſ.*

In his igitur convenientia quædam eſt baptiſmi & circumciſionis: differentia tamen eſt in efficacia & virtute, quæ longè major competit Baptiſmo, quam Circumciſioni Differentia etiam eſt in tempore adminiſtrationis utriuſque: Nam Circumciſio non poterat dari ante octavum diem, ex inſtituto ipſius Circumciſionis, Vnde etiam Evangeliſta dicit: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer*; id eſt cum adveniſſet dies octavus, ſive poſtquam incepiſſent conſummari dies octo requiſiti ut circumcideretur puer, Mandatum verò Abrahæ datum ſic habet: *Infans octo dierũ circumcidetur in vobis, omne maſculinũ in generationibus veſtris: Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo quia pactum meum irritum fecit* Præceptum, hoc concernebat parentes (nam parvuli præcepti nõ erant capaces (& adeo rigoroſum erat, ut quia neglexerat Moyſes filii ſui circumciſionem, Angelus voluerit eum interficere: unde mox ubi id Sephora ejus uxor intellexit, illicò acutiſſimam petram ſumens, circumcidit filium ſuum, & Moyſi dixit: *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Quaſi diceret, Ecce redemi te à morte, & quaſi novo pretio mihi te Spõſum emi, ſanguine filii mei in circumciſione effuſo, Moyſes verò diſtulerat circumciſionem

Gen. 17.

Exod. 4.

Eliezer filii ſui recenter adhuc nati ob iter, quia de terra Madian in Ægyptum proficiſcebatur, & forſan timebat grave periculum puero in itinere; unde in Ægypto eum circumcidendum reſervabat. Verum hic timor nimis humanus fuerat, & Moyſes Legiſlator non debebat eſſe adeo remiſſus & timidus in lege obſervanda: ſed potius ut Dux cæteris debebat exemplo præire, & rigorem legis non præterit. Volebat ergo eum Angelus occidere, quaſi irritum Dei pactum redderet, hac remiſſione & negligentia utens erga puerum ſuum; ideoque ei minabatur, quaſi mereretur (ut lex dixerat) deleri de populo ſuo: quod idem eſt ac occidi: *ſic enim violator Sabbati jubetur deleri de populo, aliique prævaricatores divini pacti & præcepti.*

*Chriſtus à Circumciſione immunis.*

An forſitan Maria & Joſeph eaſdem mortis minas, eandemq; timent prævaricationem quã Moyſes & Sephora, ſi puerum hunc ſuum nõ circumcidant octavo jam die? An timent irritum reddere pactum Dei, & deleri de populo ſuo? Abſit. Nec enim ignorat Maria myſteriorum Chriſti conſcia, eum ab hac lege exemptum: tũ quia legis ipſe auctor erat: tum quia lex eam non comprehendebat, utpote non ex ſemine virili, nec communi modò inſtar aliorum infantium genitum. Unde & ſciebat eum non indigere hac circumciſione, vel ut remedio originalis peccati, quia illud nullatenus cõtraxerat; vel ut ſignaculo filiorum Abrahæ & fidei eorum, qua credebant Meſſiam ex ſuo ſemine naſciturum, quia jam natus huic ſigno & huic fidei finem imponere venerat, remota umbra daturus lucem, remota figura impleturus veritatem. Cur ergo Maria octavum non vult præterire diem, cum puer hic tenellus nec legi nec diei ſit obligatus? Cur non timet divinam attingere carnem, divinũ fundere ſanguinem, & tam acerbâ nota divinum ſignare infantem? Abſque dubio novit Filii, novit & Patris æterni hanc eſſe voluntatem, qui ipſum *miſit factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret.* Alioqui non ſine maximo Matris dolore potuit hæc circumciſio ab illa præſente videri. Sciebat enim in hac tenella ætate dolorem eſſe acerbum infantuli carni infligendum per cultrum lapideum, quo ſolebat fieri circumciſio; quo & uſa eſt Sephora erga filium, & Joſue ex mandato Dei erga populum in deſerto. Sciebat ultra cæteros infantes dolorem in eo augendum, tũ ob nobiliſſimam complexionem à Spiritu S formatam, & proinde corporis ejus maximam teneritudinem, tum quia ratio in eo non erat ſopienda more aliorum infantium. Denique, hunc dolorem adaugebat ſuaviſſimus dilectiſſimi Filii aſpectus, in quo jam non tantum vulnus novellum contemplabatur, ſed & futura vulnera & dolores, quorum iſtud erat initium & prognoſticon. Contemplabatur enim tenellas manus cruci poſtmodum figendas, pedes perforandos, caput ſpinis pungendum, cæteraque membra flagellis & livoribus deturpanda; & hinc cor ejus dolore ſuper dolorem, vulnere ſuper vulnus conficiebatur. Non enim veriſimile eſt Matrem Dei, nobilem illam Prophetiſſam, Prophetarum Reginam, hæc ſecreta filii ſui ignoraſſe, quæ Prophetæ priores ſpiritu filii afflati ſcriptis conſignarant. Propter hæc omnia Circumciſio primum inter myſteria doloroſa Roſarii Virginis annumerari ſolet. Fuit enim et tunc Chriſtus Roſa myſtica cum odore & rubore ſe pandens; ſed non fuit ſine ſpina, qua tenerum Matris cor tranſfixit amore & dolore.

*Gal. 4.*

*Chriſtus à quo ſit circumciſus.*

Aderat igitur Maria præſens circumciſioni immo aliqui eam filium circumcidiſſe propriis manibus exiſtimant, ſicut Sephora filium ſuum Eliezer; ideoque potuiſſe, ſicut & illa, filio dicere: *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Et quidem de miniſtro certò nihil in lege præſcriptum erat, unde modo viri, modo fœminæ circumciſionem peregiſſe leguntur. Fortè tamen melius iſtud miniſterium erga puerum Chriſtum Joſepho aſſignaverimus, qui myſteriorum coadjutor à Patre deſignatus erat. Adde quod in Bethleem, in ſpelunca Nativitatis, peracta fuit circumciſio iſta, quia à loco Nativitatis uſque ad diem purificationis Virgo non receſſit: & de loco etiam nihil in lege præceptum erat, quandoquidem Abraham ſeipſum & ſuos domi circumcidit. Interim non dubitamus, MARIAM filii ſui præputium & linteum ejus cruore tinctum magna cordis devotione, magna animi reverentia in manus ſumpſiſſe, & Deo Patri obtuliſſe, charoque applicuiſſe pectori, ſeipſam tingendo ejuſdem Filii ſui cruore. Nec enim ignobilior fuit nobili illâ Matrona, de qua Prudentius lib. de Coronis, cujus cum puero carnifex cervicem amputaret, illa ex Davide pſallere docta canebat: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus; Tuus ille ſervus filius ancillæ tuæ.* Et talia canens explicabat pallium, & ſinum ſub ictu & ſanguine, ut pretioſam cruoris undam gremio exciperet, & charo applicaret pectori. Nec ignobilior fuit altera illa muliere forti, de qua Procopius, cujus duæ filiæ in Nagran civitate Arabiæ ante faciem ejus gladio ſunt perfoſſæ; cruoris autem effluentis partem collectam dum carnifex propinaret, illa ſuſcipiens, & in cœlum ſuſpiciens, lætabunda guſtavit, & dixit: *Tibi Chriſte hoc meum offero ſacrificium, tibi exhibeo martyres virgines caſtas egreſſas ex utero meo, cum quibus in thalamum introducere digneris me Matrem propter filias lætantem.* Erat ergo & Maria in hoc primo ſacrificio ſanguinis filii ſui cooperatrix, ſicut & in poſtremo: atque ita primitias libans, & Patri præputium filii offerens ſanguinolentum, poterat dicere: *Vide an tunica filii tui ſit, an non? Utique tunicella filii mei eſt filiique tui; quam offert ipſe quam offero ego cum ipſo expiationis hoſtiam.*

*Inſigne factum nobilis matronæ.*

*Pſal. 115.*

*Anno Juſtini Imper. 522. Bar. ex Procopio.*

*Gen. 37.*

*Præputium Chriſti ubinam aſſervetur.*

Sed quæret aliquis, quid de illo præputio factũ fuerit? Reſp. in revelationibus S. Brigittæ l. 6. c. 102. legimus B. Virginem S. Brigittæ revelaſſe, ſe uſque ad mortem particulam illam ſervaſſe, & tunc Evangeliſtæ Ioanni eam tradidiſſe, ipſumque eandem

tem reliquiſſe ſucceſſoribus ſuis; & poſtmodum fideles in loco eam occulto repoſuiſſe, in quo delituit donec per Angelum manifeſtata eſt. Eſt vero Romana traditio, diu fuiſſe in Lateranenſi Baſilica reſervatum, in loco qui propter excellentiam & multitudinem Reliquiarum vocatur, *Sancta Sanctorum*, Illuc dicitur tranſlatum à tempore Caroli Calvi ex Aquiſgranenſi civitate, ubi Carolus Magnus illud collocaverat ſibi per Angelum Jeroſolyma delatum; de qua re fecit mentionem Innocentius tertius, l. 4. de myſteriis Miſſæ. *Itaque pie creditur, adhuc Chriſti præputium in Eccleſia reſervari, tamquam pignus amoris quem in infantia ſua erga humanum genus Chriſtus teſtatus eſt, iſtud ſibi tanto cum dolore circumcidi paſſus, ſuoque cruore aſpergere dignatus.*

Audi quid Cardinalis Toletus in Lucam c. 2. annotatione 31, refert de hoc præputio, ex teſtimonio Sacerdotis unius, & trium illuſtrium fœminarum. Anno 1527. cum Roma expugnata fuit à Carolo V. miles quidam arculam è Baſilica Lateranenſi ſurripuit, in qua præputium Chriſti cum quibuſdam Reliquiis aſſervabatur. Urbe autem diſcedens, à ruſticis captus, deductus eſt ad pagũ cui *Calcata* nomen eſt, diſtatque Roma viginti millibus paſſuum Ibi in cellaria quidam pro carcere detruſus, theſaurum ſurreptum defodit. Paulo poſt libertate donatus, Romam revertitur, & morbo correptus in Xenodochium S. Spiritus ſe recipit, mortique vicinus fatetur ſe iſtas Reliquias defodiſſe. Id ubi Clemens VII. reſciviſſet, ſcribit ad Dominum Pagi, ut diligenter requirantur. Adhibuit ille diligentiam nec quicquam reperit Menſe vero Octobri 1557. divina providentia factum eſt, ut quidã Sacerdos in dictis cellariis refodiens, ſcriniolum ex chalibe repererit quod mox ad Magdalenã Stroiciam pagi Dominam detulit. Hæc cum illo Sacerdote & Lucretia Urſina, Clariceque filia octenni, aperto ſcriniolo vetuſtis panniculis ſericis involutas Reliquias invenit; & ſingulis adjuncta erant nomina, ſed vetuſtate ſic conſumpta, ut ægre legi poſſent: eas porro honorificè componens, in pellui argentea ſigillatim reponebat. Inter cætera inventus eſt ſacculus ſericus, juglandis inſtar, cui inſcribebatur nomen Jesus. At dum Magdalena primũ filium ſolvere aggreditur, ſentit manus rigere: mox vero eas confricat, & pergit ſolvere, ſed magis quã ante ſtupeſcunt manus, Quare divinam ſentiens hic virtutem ſic Deum alloquitur O Domine, ſcio me peccatricem, indignam divina attingere; attamen non ex arrogantia, aut ut ſacra contemnam, ſed ut humiliter & honorificè conſervem, id ago. Sic pergit utramque manum adhibere nodo ſolvendo, ſed mox utriuſque manus digiti indurantur inſtar metalli: ita ut nec illos conjungere, nec ſacrum globum poſſent contingere. Spectaculum ſtuporem, & ſtupor lacrymas injicit aſtantibus. Tunc Lucretia: Crediderim, inquit ſacrum Chriſti præputium contineri, de quo Clemens Pontifex conjugi meo olim ſcripſit. Hoc ubi dixiſſet, ſuaviſſimus odor è globulo illo exiit, omnes admiratione & timore ſancto afficiens. Quid tandem conſilii? Sacerdos qui aderat, iſtud ſuggerit: ut ſcil. Clarix virguncula nodum conetur diſſolvere; ſicque Matronis in id conſentientibus, mox ſine difficultate diſſolvit, ac præputium extractum in vaſculo argenteo collocat; erat autem denſum & criſpum inſtar rubri ciceris Porro ſic voluit Deus virginitatem & innocentiam teneræ puellulæ honorare: ſed & tam matris quam filiæ manibus odor ille divinus ita inſperſus fuerat, ut per biduum durarit: In illo vero pago, *Calcata*, in hodiernum diem aſſervari honorificè perhibetur. Quapropter quod Coſterus in Meditatione de Circumciſione dicit per hæreticos Antverpia ſublatum eſſe, non videtur verum, niſi dixeris particulam eſſe quæ præciſa fuerit ab eo quod Romæ ſervabatur.

Cum verò Chriſtus, ut jam diximus, legi circumciſionis non fuerit obſtrictus, videamus & in particulari conſideremus rationes aliquot, ob quas dignatus eſt ſe illi ſubjicere? varias enim recenſent Sancti Patres.

**Pars II.** *Circumciſioni cur Chriſtus ſe ſubjecerit.*

Dicamus ergo primo, ideo circumciſum, ut oſtenderet ſe in veritate carnem aſſumpſiſſe; quia futuri erant aliqui dicentes, Chriſtum vel corpus cœleſte, vel phantaſticum, & in ſpecie ſolum apparens habuiſſe. Ipſe verò ſe non ſolum filium Adæ, ſed etiam ex ſemine Abrahæ promiſſum oſtendit: accepta circumciſione, per quam fluente cruore, veram eſſe carnem paſſibilem ex Adam & Abrahã oriundam oſtendit; non vero eſſe corpus aliquod cœleſte, vel aëreum, vel apparens tantum. Unde hic etiam verum eſt illud. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis.* Quia ſicut tres teſtes de cœlo, atteſtantes Chriſti divinitatem in ejus Baptiſmo, *Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus*: ita ſunt tres de terra teſtes, atteſtantes ejus veram humanitatem in circumciſione, ſcil. *ſpiritus, aqua, & ſanguis*: ſpiritus & halitus vitæ; aqua lacrymarum, ſanguiſque tunc effuſus. Et hi tres teſtes terreſtres unum ſunt, concordia quadam teſtandi, inquit S. Auguſtinus ſicut & tres cœleſtes teſtes unum ſunt, non ſolum concordi teſtimonio & voce, ſed etiam unitate naturæ. Hæc igitur in ejus circumciſione ſpecialiter teſtimonium dant, quæ idem teſtimonium datura ſunt in cruce, cum ſpiritum emittet, cum aquam & ſanguinem è latere fundet. Quapropter ſicut poſt reſurrectionem vulnera reſervavit attingenda per Thomam in teſtimonium veræ reſurrectionis: ita modo vulnus accipit, in teſtimonium veræ nativitatis, & veræ aſſumptæ carnis. Adde, quod per hanc circumciſionem omnem abſtulit excuſationem à Judæis. Hi poterant ſe excuſare ſi Chriſtus non fuiſſet circumciſus, quod illum non recipiſſent, tamquam non agnitum ut filium Abrahæ, cujus ſignaculum non haberet; & ab incircumciſo audire verbum

*1. Ut oſtenderetur veritas carnis ejus.*

*1. Joan. 5.*



Dei,

Dei, ſibi piaculum exiſtimaſſent. Hanc enim cauſam dant S. Chryſ. hom. 34. in acta, cur Paulus Timotheum circumcidit, quem ſecum aſſumebat ad Evangelium prædicandum. *Hac eſt*, inquit, *cauſa circumcidendi. Non enim ferebant audire verbum ab incircumciſo, Sic ergo eum circumcidit, ut circumciſionem per eum tollat*: Simili modo de Chriſto dicimus cum Aug. ſer. 13. de tempore: *Dominus ſuſcepit circumciſionem, ablaturus circumciſionem ſuſcepit umbram, daturus lucem; ſuſcepit figuram, impleturus veritatem.* Nam in ipſo circumciſio circumciſa eſt, quia finis legis Chriſtus; & cũ voluerit circumcidi, ut probaretur eſſe is qui promiſſus erat Abrahæ, jam de cætero circumciſio debebat ceſſare, impleta promiſſione.

*2. Ut impleret omnem juſtitiã, id eſt virtutem. Matt. 3.*

Dicamus ſecundo, ſuſcepiſſe circumciſionem ob eandem cauſam quam ipſemet Joanni affert renuenti baptizare: *Sine modo*, inquit, *ſic enim decet nos implere omnẽ juſtitiam.* Quid eſt omnem juſtitiam, niſi omnem virtutem? Nempe omnis virtutis nobis voluit dare exemplum in hac circumciſione, obedientiæ, patientiæ, reſignationis, mortificationis, ſed maxime Humilitatis & Charitatis. Declaremus, quomodo hæ duæ virtutes ſpecialiter hic eluceant, nam Sancti Patres utramque hic mirè extollunt.

Quantum ad humilitatem, illa quidem magnopere in incarnatione & nativitate apparuit, dum divina majeſtas ſeſe quodammodo exinanivit, formam ſervi aſſumens, formaque pueri imbellis & impotentis, dum Deus cernitur in limo noſtro infixus.

*Chriſti humilitas in circumciſione. Ser. de Nat.*

De quo S. Bern. *Tanta dignatione Deus deſcẽdit in limum, tantaque dignitate limus aſcendit in Deum, ut quicquid fecit Deus, limus feciſſe credatur, quicquid limus pertulit, Deus pertuliſſe dicatur. Adverte ergo, ô homo, quia limus es, & non ſis ſuperbus, quia Deo junctus es & non ſis ingratus.* tantæ ſcil. humiliationi & dignationi divinæ. Verbum in circumciſione humilitas magis elucet, quam in incarnatione aut nativitate: quia ſi per hanc in ſimilitudinem hominum eſt factus, per illam aſſumere ſimilitudinẽ peccatoris eſt dignatus. Ibi ergo maxime exinanivit ſe, ſtigmate & cauterio peccatoris notatus, & quaſi inter cæteros peccatores connumeratus, quia pro peccatoribus lex erat impoſita circumciſionis. Ergone major humilitas poteſt reperiri, quam ipſam innocentiam, ipſam ſanctitatẽ, puritatiſque omnis ſpeculum, quaſi peccatorum remedio egeret ſubdi circumciſionis cauterio? Hanc humilitatem admirans ſimulque noſtrã ſuperbiã arguens, ſic de filio Dei filios hominum alloquitur S. Bern.

*Serm. 1. de circ.*

*Manifeſtum dedit humilitatis exẽplum, quia nec veſtigium quidem vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non ſic agit perverſitas, elationis humanæ; erubeſcimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum gloriamur. Quẽ nullus poteſt arguere, ipſe peccati remedium verecũdum pariter & auſterũ ſine neceſſitate ſuſcepit: Nos è contra inverecundi ad obſcænitatem culpæ, erubeſcimus agere pænitentiam, quod extremæ dementiæ eſt; male proni in vulnera, pejus in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non eſt dedignatus ſe peccatorem reputari: nos eſſe volumus, & nolumus æſtimari.* Hæc Bernardus.

Certè elucent in Chriſto, & nobis proponuntur duæ humiliationes admirabiles, quæ noſtram deberent humiliare ſuperbiam & arrogantiam, qui non novimus niſi peccatum, cum ipſe qui non novit peccatum, fieri quodammodo voluit peccatũ, & ut peccator apparere, ac in ſimilitudinem carnis peccati immaculatam ſuam carnem exhibere. 2. Cor. 5.

*Duæ humiliationes Chriſti.*

Prima humiliatio fuit in vitæ exordio, altera in complemento: Prima in circumciſione, altera in cruce: Prima ſub cultro lapideo, altera ſub clavo ferreo. Utrobique enim ut peccator apparet illic quaſi inter filios Adæ inobedientiæ reos inſignitur nota peccatoris; iſthic inter iniquos & ſceleratos deputatus mulctatur ſupplicio latronis. Utramque autem humiliationẽ ſapienter ſuſcepit, ut tolleret duplicem ex duplici peccato humiliationem & obligationem; primam quidẽ quæ erat contracta ex peccato originali: alteram, quæ erat ex peccato actuali. Hæc vero humiliatio Dei utrobique dæmonem decepit, ut certò agnoſcere non poſſet Filium Dei ſic ſe humiliantem. *Ipſe latenter in mundum venit, ut quoniam homo in Paradiſo non cognoverat diabolum, ſic & diabolus in ſæculo non cognoſceret Chriſtum*, inquit B. Zeno. Serm. 1. de Nat.

Atque ita dum naſcitur, ſub pannis, ſub fœno, ſub vilitate ſtabuli & præſepii Majeſtas divina abſconditur, ut exiſtimet purũ hominem; attamen Angelorum cantus cœlicum lumen, exultatio Patrum in limbo ei abſconditæ divinitatis in puero aliquam ingerunt ſuſpicionem. Sed dum videt eum circumciſionem ſuſcipere peccatoris ſignaculum; non poterat ſibi perſuadere hunc eſſe Salvatorem, utpote ſalutis remedio egentem. Decepiſti, O Satan Adam primum latens ſub ſerpentis pelle; decipiet te, Adam ſecundus, filius ſimul exiſtens Dei, ſed latens ſub carnis peccati ſimilitudine: Decipieris & in fine, ſimili quo decepiſti modo, quando ut ſerpens ipſe exaltabitur in crucis arbore. Et quia ſuperbus es valde, ſuperbiam ingenerare auſus homini, reſtituet illum, & decipiet at dejiciet te humilitas Dei.

*A Chriſto circumciſo diſcamus humilitatem.*

Nos interim diſcamus humilitatem non ſolum à Jesu crucifixo, ſed etiam à Jesu circumciſo, quam ipſe tamquam primam virtutem in ſua infantia edocuit. Audiant omnes, inquit S. Gregorius, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Audiant omnes: *Quid ſuperbis terra & cinis?* Audiant omnes; *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Ideo unigenitus formam noſtræ infirmitatis ſuſcepit, ideo ludibria, opprobria tormẽta toleravit, ut ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus. O quanta eſt virtus humilitatis, ob quam edocendam is qui ſine æſtimatione eſt magnus, uſque ad paſſionem factus eſt parvus! *Quia perditionis noſtræ originem præbuit ſuperbia*

*Iac. 4. Eccli. 10. Matth. 11. Greg. l. 34. mora. c. 21.*

dia-

*diaboli, inſtrumentum redemptionis noſtræ inventa eſt humilitas Dei.*

*Chriſti in circumciſione charitas in nos.*

Quantum ad charitatem, pari paſſu hic cum humilitate procedit; eſt enim utraque in Chriſto germana ſoror, ſocietate inſeparabili connexa: unde propter nimiam ſuam charitatem, ita ſub circumciſionis ſignaculo eſt humiliatus, ita acerbo vulnere eſt cruentatus. O nimis amabilis puer! O puer nimis amans! En ab octiduo è cœlis te amor funiculis ſuis innexum in Bethleem attraxit, & in præſepio reclinavit, charitatis lectulo: jam progreditur ut victor ſui, & moræ impatiens tenellam carnem ſuam cruentat, novellumque ſanguinem ſuum fundit. Vult ut ex nunc purpureo ſacratiſſimi cruoris rore aſpergaris, inchoans officium Redemptoris, & ſignans nomen Salvatoris: quia *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*, nec ſalutis initiatio. Non ergo tam culter circumciſionis, quam vis amoris, hodie, primum fontem ſanguinis, primum fontem ſalutis aperit, ſed ſtatim clauditur, ut poſtmodum ad extremam uſque guttam exhauriatur, ut nomen JESUS cruore roſeo ſignatum in circumciſione, ultimis ſuis coloribus charitatis penicillo perficiatur & conſummetur in cruce. Omnia inſtrumenta quæ ſanguinem nata ſunt elicere, impendet amor, ut dolorem dolore, rorem rore cumulans, *copioſa ſit apud eum redemptio*. Ideo quod hodie exorditur petra, perficient poſtmodum horti anguſtia, funes, ſpinæ, flagella, crux, ferrum, clavi & lancea. Meritò olim apud Prophetam dicebat Dominus: DILEXI VOS. O quantam duæ hæ voces, divino ore pronunciatæ, emphaſim & energiam continent! Omnem temporis differentiam complectuntur licet præterito tempore exprimantur; idem enim eſt ac ſi dicatur: *Dilexi, diligo, diligam*; & diligendo omnibus vos bonis cumulare non deſiſtam. Eſt nempe dilectio & amor Dei erga nos plane efficax, fons omnis doni, origo omnis boni; quia ex benevolentia oritur beneficentia. Ideo autem teſtatur ſe nos diligere indicat ſe omne bonum nobis velle, & quidem ab æternitate, & pro æternitate; ideo dicit: *Dilexi vos.* Sed quanta ingratitudo, cæcitas, & oblivio reſpondentium ei: *In quo dilexiſti nos?* An non ejus dilectio in populum ſat manifeſta erat in liberatione ex Ægypto, in lege & manna de cœlo, in columna nubis & ignis in deſerto, in tot beneficiis quibus velut Mater & Nutrix eos aluerat, foverat, portarat ſuo in gremio? Eheu, dilexi vos! Sed rependitis odium pro dilectione, peccatum pro gratia, ingratitudinem pro beneficentia. Quod ſi hæc vox & querela Domini ad populum antiquum dirigitur, cui data erat lex timoris? quanto magis ad populum novum, cui data eſt lex amoris *Dilexi vos, dicit Dominus.* Verè vox iſta ſæpius mentis noſtræ auribus deberet reſonare, & in meditatione cordis noſtri quaſi in ſtatera expendi, ut in una lance amorem Dei erga nos appendentes, in altera amorem noſtrum erga eum, videamus quam

*Heb. 8.*

*Pſal. 129.*

*Mal. 1.*

*Chriſtus ſemper nos dilexit & diliget.*

*Mal. 1. Signa dilectionis.*

*Pſal. 108.*

præponderet unus alteri. Neque vero niſi cæci ſimus & ſtupidi, poſſumus ei reſpondere, ut illi olim: *In quo dilexiſti nos?* Nam ſi Dominum Jeſum intueamur, in omnibus ejus membris inveniemus ſcriptum, *Dilexi vos.* Hoc petra in circumciſione ejus infantili inſculpſit carni; hoc clavi in manibus, hoc ferrum in pedibus, hoc lancea ſcripſit in corde. Sanguis ejus fuſus tamquam pretium pro nobis in prima & ultima ætate, ſonore inclamat omnibus: *Dilexi vos*; & ſurdus eſt qui hanc vocem non audit, inſenſibilisque vel inſenſatus qui amori amore non reſpondet, cum & ſanguinem ſanguini oporteret rependere. Multum profectò dilexit Sichem filius Hemor Dinam, pro qua deſpondenda non ſolum ipſe circumciſionis vulnus paſſus eſt, ſed & populum ſuum ad idipſum adegit, infœlici licet exitu. Multum dilexit David Michoel filiam Saulis, quam centum præputijs Philiſtinorum deſpondit & emit. Multum Sephora Moyſem dilexit, quæ filij ſui circumciſione eum à morte redemit. At Chriſtus Sponſam ſuam Eccleſiam, animasque quaslibet quas ſponſas vocat, longè ferventius dilexiſſe certum eſt, dum circumciſionis ſuæ eas deſpondit & dotavit ſanguine, deſponſationem conſummaturus in Cruce, dotis hujus pretioſæ totali exhibitione. Meritò ergo dicit; *Dilexi vos*: Meritò vicem rependens unusquisque cum Apoſtolo, de ipſo dicit: *Qui dilexit me, & ſemetipſum tradidit pro me.* Hanc vicem amoris, hanc vocem mutuæ dilectionis rependunt Chriſto animæ piæ. Unde contigiſſe initio Ordinis Prædicatorum exemplum perfecti amoris iſtud legimus.

*Gen. 34.*

*1. Reg. 18.*

*Exod. 4.*

*Gal. 2. Et nos Chriſtum reamemus.*

*Exempl. perfecti amoris.*

Nobilis quædam virgo annorum 14. B. Mariæ Virgini valde devota, continuis ſeptem annis obnixe efflagitabat, ut dignaretur filium ſuum, animarum ſponſum ſibi manifeſtare. Quadam vigilia Nativitatis cum ſola quoddam Oratorium intraſſet, apparuit ei Maria Mater cum Filio in manibus ſuis, dicitque: *En filius meus tantopere à te deſideratus: permitto te eum in ulnas accipere, & cum eo diſſuaviari* Excipit illa puerum cum gaudio, exoſculandum & amplexu lætiſſimo fovendum. At mox ei puer hanc de amore interrogationem facit; *Diligisne me?* Cui reſpondet illa: *Omnino diligo.* Ulterius interrogat; *Quantum diligis me?* Cui illa: *Plusquam corpus meum.* Iterum puer: *An non plus diligis me!* Imò inquit ipſa, & *plusquam cor meum.* Tertio Jeſus infans interrogat: *Sed quantum plus corde tuo diligis me?* Tandem illa; *Neſcio id dicere, ipſum cor loquatur.* Mox vero cor ejus præ amoris violentia ſciſſum eſt. Et B. Virgo Maria ſuo ſinu materno ejus animam excipiens, cum cantu Angelorum in cœlum eam deduxiſſe viſa eſt. Nam ad hunc concentum angelicum familia accurrens virginem mortuam reperit, erat vero locus ineffabili odore repletus. Poſtmodum Fratres Ordinis Prædicatorum, qui ibidem aderant, cum ejus pectus aperiretur ad explorandam mortis adeo ſubitæ cauſam,

*Specul. exemp. V. Di.*

invenerunt in corde ejus aureis litteris ſcriptum: *Diligo te plusquam me, quia creaſti, redemiſti, ditaſti me.*

*Pars III. De Circumciſione ſpirituali. Hom. in octava Nativ. Circumciſio non manu facta quid. Coloſſ. 1.*

DIcamus tertio, Chriſtum voluiſſe circumcidi, ut legali circumciſione ſublata, ſpiritualem nos edoceret. Hanc etiam rationem afferunt SS. Patres, inter quos B. Euſebius Emiſſenus ſic ait: *Ideo eſt circumciſus, ut ejus nobis ſignificationem cõmendaret. Iudæi quidem in uno membro circumciduntur, quare autem circumcidantur non intelligũt: Chriſtiani vero quid circumciſio ſignificet intelligentes, non unum tantum ſed omnia membra circumcidunt, non pellis inciſione, ſed totius ſuperfluitatis abjectione.* Hæc circumciſio frequenter in Scriptura commendatur, & vocatur *Circumciſio non manu facta*, quæ conſiſtit non in ſpoliatione carnis, ſed in expoliatione peccati & veteris hominis, ſive in reſecatione corruptæ & inveteratæ conſuetudinis. Unde modo cor, modo aures, modo alia membra circumcidere monemur. Utinam igitur ſimus corde, auribus, oculis, lingua, manibus, crinibus, & omnibus carnis ſenſibus circumciſi, non littera, ſed ſpiritu. Utinam non poſſit nobis illud objici, quod *Act. 7.* Stephanus Judæis: *Dura cervice & incircumciſis auribus, vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis.* Sed videamus in particulari..

*Cor circumcidendum & quomodo. Deut. 30. Deut. 10.*

1. Quid eſt habere cor circumciſum, niſi illud habere bene purgatum, & ab illo reſecare nociva deſideria, pravas cogitationes, ac duritiem omnem, ut aptum ſit amori divino cæleſtibusq; affectibus Hinc Deuteron 30. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut poſſis vivere.* Et iterum capite 10. *Et nunc Iſrael quid Dominus Deus petit à te, niſi ut timeas Dominũ Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum ac ſervias ei in toto corde tuo? Circumcidi te igitur præputium cordis veſtri, & cervicem veſtram ne induretis amplius.* Idem nos hodie omnibus inculcamus, præputium cordis circumcidite, omnem immunditiam, omne impedimentum cordis reſecate, us perfecto amore poſſitis Deum diligere; ad hunc effectum. Chriſtus pro vobis circumciſus eſt.

*Aures circumcidendæ & quomodo. Eccl. 21.*

2. Quid eſt habere aures circumciſas, niſi illas habere apertas ad monita & inſpirationes Dei, ad monita Angelorum, & omnium qui noſtri curam gerunt, ad verbum Domini, & exhortationes ſanctas, ut Spiritui S. non reſiſtamus? *Audivit verbum ſapiens filius luxurioſus, & poſt tergum ſuum projecit illud,* inquit Eccleſiaſt. Quid ita? Quia incircumciſus eſt auribus & corde. Quid iterum eſt habere aures circumciſas, niſi reſecare ab illis omnes ſermones detractionis, omnia luxurioſa, omnia nociva honori, proximi, vel honori Dei? Incircumciſus igitur auribus & immundus cenſetur, qui his vacat audiendis, aut auditis delectatur.

*Oculi circumcidendi & quomodo. Iob. 31. Pſ. 118.*

3. Quid eſt habere oculos circumciſos, niſi ab illis reſecare omnem aſpectum turpem, omnemque aſpectum malevolum, aut malignum, ut nihil per illos ingrediatur niſi caſtum, nihil quod cor poſſit reddere immundum, nihil quoque per illos egrediatur, quod malevolentiam & odium, vel invidiã indicet? Circumciderat oculos ſuos qui dicit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne quidem cogitarem de virgine.* Circumcidi ſibi à Deo optabat David, dicens: *Averte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me.* Incircumciſus igitur oculis cenſetur, qui impudicum habet oculum impudici cordis nuntium.

*Lingua circumcidenda & quomodo. Iac. 3.*

Quid eſt labia & linguam habere circumciſam, niſi ſeverè illam cuſtodire à convitijs & contumelijs, à maledictionibus, à detractionibus, à juramentis & blaſphemiis. Denique ab omnibus nocivis colloquijs, omniq; impuritate? O quam multi linguâ ſunt incircumciſi, qui nonniſi turpiloquijs vacant, & labia maledica in detrimentum famæ alienæ acuunt, imo & in divini nominis injuriam vibrant! O utinam novacula ſpiritus membrum iſtud linguæ circumcidere & expurgare dignetur Dominus, vel calculo ignito Prophetæ ſui Iſaiæ ejus pruritum adurere! Hac ratione fieret; ut maxima peccatorum pars eliminaretur; quia illorum potiſſima pars lingua lubrica, immunda, incircumciſa committitur: Nam lingua, *Vniverſitas eſt iniquitatis.*

*Manus circumcidendæ & quomodo.*

5. Quid eſt habere manus circumciſas, niſi omne furtum & omnem rapinam à ſe removere, ſicq; quodammodo ungues circumcidere & reſecare? Multi habent manus aduncas unguesq; rapaces, injuſtitiæ dediti, & ex alieno viventes: hi certè manibus incircumciſi & reprobi ſunt. Unde in lege antiquâ reprobantur tamquam immundæ aves, quæ è rapto vivunt, & unguibus aduncis ſunt, quales ſunt aquilæ, griphes, milui, corvi, accipitres. De quare Iſidorus ſic ait: *Qui aquilam, miluum, & accipitrem odit, odit raptores, & ſcelere viventes.*

*Crines circumcidendi & quomodo. 2. Reg. 14.*

6. Quid eſt habere crines circumciſos, niſi omnem vanitatem, omnia vitia, omnes illecebras omnes ſuperfluitates à mente reſecare? Abſalon ſi crines circumciſos habuiſſet, infæliciter in arbore funeſtâ non penderet, nec tribus lanceis confixus palpitaret. Gravabat eum cæſaries, & ſolum ſemel in anno tõdebatur, & ideo miſere perit, dum crinium coma ab arboris comâ tenetur: & juſtè ibi punitur ubi diadema paternum geſtare contendebat. Sic convertitur iniquitas ejus in caput ejus, & in verticem ejus iniquitas ejus deſcendit. Figuram vero gerit Abſalon juvenum mundanorum, qui crinibus & criminibus gravantur; & vix in anno ſemel tondentur, aut circumciduntur; ideoque divinæ juſtitiæ arbor quandoque eos crinibus & criminibus ſuis illaqueatos perimit, alijs in exemplum eos oſtentans. Poſtquam Satan, inſtar Joab; eorum cor triplici lancea lætali transfixit, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ; etiã Deus in futura vita æternum triplici eos transfigit lancea, triplici ſcil. perennante pœna, pœna

omni,

damni, pœna ſenſus, & pœna vermis; hoc eſt viſionis ſuæ privatione, ignis cruciatu, conſcientiæ tortura. Quid igitur eis aliud remedij, quam tempore oportuno frequenter crines circumcidere, luxuriantiaque deſideria reſecare triplici navacula, contritionis, confeſſionis, ſatisfactionis? Certè ſicut Prophetæ Ezechieli mandatum fuit, ut crines omnes ſuos raderet, & partem in ventum diſpergeret, partem igni combureret, partem gladio concideret: ſimiliter & nobis mandatum exiſtimare debemus. Quod ſi per veræ confeſſionis novaculam crines noſtros eradamus, partem diſpergere poterit divinæ gratiæ flatus, partem concidet contritionis gladius, partem comburet amoris divini ignis accenſus.

*Ezech. 5.*

Itaque ad hanc jam dictam multiplicem circumciſionem ſpiritualem nos adhortatur. Chriſti circumciſio: illius quoque nos commonefacit D. Paul. in epiſtola hodierna inclamans: *Apparuit gratia Salvatoris noſtri Dei omnibus hominibus, erudiẽs nos ut abnegantes omnem impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, juſtè & pie vivamus &c.* Et quandonam clarius apparuit gratia Salvatoris noſtri, & Dei noſtri, quam quando primò in circumciſione ſanguinem fudit, & nomen Jesu, nomen Salvatoris accepit? Tunc in effectu oſtendebat, quomodo venerit peccatores ſalvos facere. Et quidem apparuit *omnibus hominibus*, qui oculos aperire voluerunt quia neminem ab hac ſalute excluſit. Et licet omnes & ſingulos efficaciter non ſalvet, omnes tamen quantum in ſe eſt, vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ſi & ipſi velint: immò de omnibus hominibus efficaciter aliquos ſalvaturus eſt hoc eſt, de omni ſtatu, conditione, populo, & natione. *Viderunt enim omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. & qui ſalvi facti ſunt ei gratias reddentes clamant: Redemiſti nos Domine Deus ex omni tribu, & lingua, & natione.* Sic ergo omnibus apparuit, ut nemo poſſit ſe excuſare, nemo gratiam Dei accuſare. Quid ita? Quia nemini voluit deeſſe, monẽs nos, erudiens, inſtruens ad omnem virtutem, etiã in infantia ſua, in Bethleemitica ſpelunca: ſive enim conſuleres ejus Nativitatem, ſive conſideres Circumciſionem, omnis ibi virtutis nobis exhibetur lectio & inſtructio. Vis diſcere humilitatem? Vide in circumciſione Deum humiliatum abyſſaliter, dum imaginem aſſumit peccatoris. Vis diſcere manſuetudinem & patientiam? Ecce tamquam Agnus ſub cultro cruento manſuetus. Vis diſcere obedientiam? *Deſcendi*, inquit, *de cælo, non ut faciam voluntatem meam, &c* Vis diſcere charitatem? Hæc eſt quæ impellit eum ad fundendum ſanguinem. Vis diſcere pœnitentiam? Attende quod omnia quæ patitur, propter noſtra peccata patitur, ut docet nos peccati odium & deteſtationem; ad hunc quaſi principalem effectum apparuit nobis gratia Salvatoris. Audi Apoſtolum hoc diſertè exprimentem his verbis. *Ut abnegantes omnem impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, juſtè, & pie vivamus in hoc ſæculo.* An non hæc eſt circumciſio ſpiritualis, ad quam erudit nos? Quid eſt enim abnegare impietatem & ſæcularia deſideria, niſi circumcidere, & à nobis removere concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, quibus ſæculum hoc impeditur à vera pietate & juſtitia, & à gratia Salvatoris percipienda? His ergo deſiderijs circumciſis, tanquam pelle veteris Adam, docet nos puer Jesu circumciſus, ſobriè, juſtè, caſtè, piè vivere, novaque ſalutis deſideria concipere, novum ſpiritum, novum cor induere, quibus ſolidè poſſimus expectare beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei. Quando ſcil. ipſe qui venit parvulus Deus, parvulus Emmanuel, *Nobiscum Deus*, anguſtus & anguſtiatus in præſepio, veniet ut magnus Deus in impios tonans è cælo, & pios coronans in ſuperno ſolio. Sed non videbit eum magnum, qui non amplexatus eſt parvulum: nec fiet cum eo magnus, qui non fuerit ſicut ipſe parvulus. Ut vero ſpem hanc beatam in populo ſuo firmaret.

*Circumciſio ſpirit. quid requirat.*
*Tit. 2.*
*Brevis explicatio epiſtola,*
*Iſa. 52.*
*Apoc. 5.*
*Joan. 6.*

*Dedit ſemetipſum in redemptionem, ut faceret populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum,* ut Apoſtolus ſubdit. Et quandonam dedit ſeipſum in redemptionem? Utiq; non ſolum in cruce, ſed & in circumciſione, quando jam fudit ſanguinem, tamquam lavacrum in culparum ablutionem, tamquã pretium in peccatorum redemptionem; ut populus qui antea inviſus erat, cæcus, & ingratus, jam fieret *populus acceptabilis, populus acquiſitionis, genus electum, gens ſancta, populus ſectator bonorum operum* hoc eſt, veræ pietatis; veræ charitatis, cultusq; divini amator, & in omnibus oper. quæ Deo placere poſſunt ſe exercens; circumciſisq; omnibus quæ illi diſplicere poſſunt, nihil aliud reſpirans, quam ſe illi acceptum reddere qui dedit ſemetipſum.

*Circumciſio ſpiritualis omnibus commendatur initio anni,*

Omnibus itaq; jam dictis, commendat Apoſtolus circumciſionem, quæ ſit in ſpiritu per contritionem, per mortificationem, per proprij amoris & voluntatis abnegationem & expoliationem, per occaſionis peccati reſciſſionem, per proprij cordis renovationem, per novæ vitæ inchoationem, per bonorum operum ſequelam. Quæ quidem oportunè fit recurrente novo anno, novo menſe, novo die quam edocuit in ſua circumciſione novus puer novello profuſo pro nobis ſanguine. Ideo omnes animarum Paſtores in perſona Titi, ut hæc plebi inculcent monens Apoſtolus, concludit his verbis *Hæc loquere & exhortare in Chriſto* Jesu *Domino noſtro* Quaſi diceret: Hæc publicè pronuntia cum exhortationis & charitatis fervore; ut nemo ingratus ſit, nemo obliviosus tanti doni, nemo expers tantæ gratiæ exhibitæ à Salvatore, ut nemo quoque obliviſcatur nominis ab eo ſuſcepti; nec ſanguinis ab eo profuſi. Hæc loquere, ut omnes ſciant apertum eſſe fontem ſalutis, his ſcilicet qui haurire voluerint, vel ad bibendum ſe incurvare: Hæc exhortare, ut nemo etiam obliviſcatur eruditionis & ſcientiæ; quam Salvator tradidit in ſua circum-

ciſione; ſed ſeriò omnes circumcidant, & abnegent omnem impietatem, omniaque ſæculi deſideria, ad juſtè, ſobriè, & piè vivendum illi qui ſemetipſum dedit in redemptionem; ne inutilem illam reddant, & ejus ſanguinem contra ſe clamantem tandem ſentiant.

Cum S. Gertrudis quodam die Circumciſioni ſacro offerret ſalutationes pias, nominis JESU perfectiones indicantes: *Ave* JESU *benigniſſime, ave* JESU *amantiſſime*, & ſimiles, cor divinum medullitus afficiebat, affectuoſiſſimè laborans, perquirendo omnes quas poterat perfectiones, & devotiſſimè eas pronunciando. Unde ejus amore attractus Dominus, ejus ori quaſi melleum oſculum infixit, & dixit: *Ecce impreſſiori tuo nomen meum digniſſimum quod coram omnibus portabis, & quoties ad illud proferendum labia movebis, ſuaviſſimum mihi reſonabis melos*: His dictis, comperit in ſuperiori labio oris ſui aureis & vivis litteris ſcriptum JESUS, in inferiori labio ſcriptum *Iuſtus*. Unde per inſcriptionem JESUS, intellexit omnibus audire cupientibus ſe ſalutem & miſericordiam divinam annunciare debere; per inſcriptionem *iuſtus*, intellexit ſe his qui durioris eſſent cordis, ultionem divinam debere proponere, ut ſic minis terrendo corrigeret, quos ſuavi monito trahere ad Deum non valeret.

*Exempl. S. Gertrudis Xeniū à Deo impetrat.*

Eadem Virgo (quæ Ordinis S. Benedicti erat) eodem die dicebat Domino: *O amator ſuaviſſime, dignare congregationis noſtræ tibi dilectæ more Sponſi novum annum dare.* Reſpondit Dominus: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ.* Iterum illa: *Ne obliviſcatur pietas tua hâc ſanctæ Circumciſionis die omnium noſtrum defectus circumcidere.* Reſpondit Dominus *Circumcidimini per conſiderationem regulæ veſtræ.* Cui ipſa: *O amātiſſime Domine, cur ſic reſpondes quaſi nos his ad ea gratiæ tuæ auxilium nullum dignareris porrigere, ſed nos proprio ſtudio in his velis laborare, cum tamē ſine te nihil poſſimus facere!* His verbis delinitus Dominus, eamq; etiam blandè demulcens, dixit verba ſequentia, quæ conſideratione ſanè ſūt digna: *Ego indubitanter volo vobis in his tam evidēter cooperari; quod ſi quis propter amorem meum, hoc anni initio per veram cordis compunctionem animo retractare ſtuduerit, quid in quibusvis regulæ articulis deliquerit, & ſtudium de cætero cavendi propoſuerit ego illi adeſſe volo tamquam Magiſter dilecto diſcipulo ad diſcendas litteras in ſinu ſuo poſito, qui indice cuncta oſtendens incorrecta delet & omiſſa reſcribit. Sic omnes defectus ejus miſericorditer emendabo; & negligentias paternè ſupplebo. Et cum ipſe more puerili mente vagando aliqua tranſilit inconſideratè diligentiſſimè ſupplebo quæ ſūt neglecta.* Adjecit quoque Dominus: *Si quis voluntatem ab omni quod mihi contrarium novit, ſtuduerit retrahere, & ad omne beneplacitum meum dirigere, ego de ſplendore divini cordis mei lumen ei cognitionis miniſtrabo, & digitorum ejus omnes articulos ſic ordinabo, ut componere poſſit gratiſſimum mihi ſitiq; utiliſſimum Xenium, quod ſingulis annis more Sponſæ mihi Sponſo dignè ad inſtar ſponſalis arrhæ poſſit offere.* His nimirum divinis ſermonibus docebat Chriſtus hanc Virginem, quid eſſe circumciſio ſpiritualis; & quomodo mētis renovationem, propriæq; voluntatis reſecationem & abnegationem involveret. Quod vero huic dixit virgini, omnes etiam Chriſtianos concernit, quia omnes quantum in ipſis eſt tenentur defectus circa mandata Dei initio anni per conſcientiæ examen circumcidere, mentemq; renovare; debent quoq; auxilium Dei implorare, ut dignetur defectus præteritos ſupplere.

*S. Gertr. 4. lib. inſinuationum c. 5.*

## EODEM FESTO.

LECT. 8. Diverſas benedictiones proponit

***Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua***, Pſal. 3.

CUm primus hic anni dies à ſalutifero JESU nomine, quaſi à fæliciſſimo omine, ſua ducat auſpicia, ſimulque primitijs pretioſi cruoris ejus ſit ſacratiſſimus; merito omnis Chriſtianus in illo ſperat benedictionem, & gratiæ ſalutaris copioſam participationem. *Non enim eſt alius nomen ſub cœlo in quo oporteat ſalvos fieri*, nec ulla derivatur in nos benedictio, niſi ſanguinis ejus meritò. Ideo puero nato & circumciſo dicere poſſumus quod olim Joſepho Ægypti Salvatori dicebat populus: *Salus noſtra in manu tua, tantum reſpice nos, & læti ſerviemus Regi.* Ad ſerviendum Regi ſæculorum immortali & inviſibili in ſanctitate & juſtitia, & ad ſalutem aſſequendam, neceſſe eſt, ut is qui Salvatoris hodie eſt inſignitus nomine, nos benigno vultu reſpiciat: quia ejus aſpectus non eſt ſine gratia & benedictione. Hoc eſt ergo quod in propoſitione noſtra indicamus: *Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.* Et quia in populo diverſæ ſunt conditiones, ætates, ſexus; unicuique propria congruit benedictio. Hanc omni ætati & conditioni hodie à Domino exoptabimus, & è cælo advocabimus ad omnium ſalutem. Dicemus igitur breviter.

*Act. 4.* *Gen. 47.*

*Diverſis ætatibus & ſtatibus benedictiones aſſignantur.*

1. *De benedictione Puerorum.*
2. *De benedictione Iuvenum.*
3. *De benedictione Iuvencularum.*
4. *De benedictione Conjugatorum.*
5. *De benedictione Viduarum & Seniorum.*
6. *De benedictione Sacerdotum.*

*1. Pueris.*

PRima benedictio pueros concernit & adoleſcentulos. Olim benedicens filijs Joſeph, dicebat: *Deus, in cujus conſpectu ambulaverunt Patres mei Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea uſque in præſentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Similē benedictionem exoptent pueris ſuis parentes, agnoſcentes illos ſibi natos, & datos eſſe a Deo, à quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, agnoſcentes etiam ab

*Gen. 48.*

illo omnnem familiæ benedictionem, dependere; ideoque ſint ſolliciti eos inſtruere in timore Dei, in pietate, in obediētia, ut divinam mereantur benedictionem impetrare. Atque utinam poſſint dicere Parentes cum Jacob: *Deus in cujus conſpectu ambulo, ſicut ambulaverunt Patres mei.* Illi enim Patres qui in conſpectu Dei ambulant, benedictionem facilè impetrant pueris Verùm Patres multi ſunt qui timorem Dei non habent, ideoque nec illum in filios transfundunt. Et quia Deum ſibi præſentē non ſpectant, maledictionem intorquere audent in filios loco benedictionis. Cùm Deum deberent invocare & Angelum; in ore habent diabolum. Cum benedictionis & ædificationis verba deberent proferre; execrationis verbis peſſimis parvulos ſcandalizant, eiſq; pravo ſunt exemplo. Quàm multi parentes ad minimam occaſionem illicò erumpunt in peſſima verba, & nihil aliud ſciunt, quam Blaſphemias, quod vulgò dicunt *Charoigner, Maugroer, Bourgreer*, &c. An hoc eſt in conſpectu Dei ſtare? An non hoc eſt puſillos ſcandalizare? O quàm meliùs imitarentur Jacob, cum pietate nomen Dei invocando ſuper pueros, auxiliumque Angeli! Etenim filii maximè illius egent directione in tenera ætate, dum adhuc ignorant introitum & exitum, niſi docente eos Angelo & ducente. Opto igitur vobis, ô pueri, anni hujus auſpiciis benedictionem à Deo, & à puero Jeſu, ut ſemper ſitis puri, humiles, & obedientes. Opto vobis eam benedictionem, quam ipſemet dedit *imponens manus ſuper pueros* Quæ abſque dubio magnæ fuit efficaciæ. Accedite pueri ad puerum, & adorare eum, & benedictionem illius participare; vult enim pueros ad ſe venire, & talium dicit eſſe regnum cœlorum.

*Matt.19.*

*2. Iuvenibus.*

Secunda benedictio concernit juvenes, illis verò illam exopto quam olim Angelus (perſonam gerens Filii Dei) dedit Jacob poſt luctam dicenti: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi* Benedixit enim ei in eodem loco; & benedicens tetigit nervum femoris ejus, qui mox emarcuit. At quænam eſt iſta benedictio, quæ potius lædere videtur & officere, quàm proficere? Benedictio eſt caſtitatem indens & mortificans concupiſcentiam carnis. Aptè enim illa per femur deſignatur, quia ex femore ortum habet, & maximè in illo viget, ut docent Medici; unde & in ſacris litteris ſymbolum eſſe ſolet generationis; *Egreſſæ ſunt ex femore meo ſexaginta animæ.* dicebat Jacob. Juventus igitur corrupta, & per luxuriam diffluens, multum eget hac benedictione. Eheu, plurimi vix toto anni decurſu in gratia Dei exiſtunt! Ambulant enim ſecundùm deſideria carnis, & de hebdomade in hebdomaden, de die in diem ſe contaminant: Hos ſic monebat Sapiens: *Lætare juvenis in adoleſcentia tua, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito quod pro his omnibus adducet te Deus ad judicium.* Oportet itaque ô Adoleſcens, luctari cum Angelo, nec dimittere illum donec extorſeris benedictionem; oportet luctari donec aurora illuceſcat in corde tuo omnem libidinis diſſipans caliginem. Dicitur apud Oſeam *Invaluit ad Angelū, & flevit.* Nimirum precibus & lachrymis Jacob luctabatur, ſicque invaluit, & benedictionem impetravit. Similiter te flere decet miſeriam tuam, & precibus ac lacrymis contendere, & dicere: Ergo ne ita continuo involvam me miſerâ ſervitute, & compedibus libidinis? An propter momentum voluptatis jactabo aleam æternitatis & tradam me ſervum ſatanæ & damnationis? O Angele Dei, cuſtos mei, fidelis tutor, caſtitatis amator, da benedictionem, fac illuceſcat aurora gratiæ; tange femur, ut emarceſcat & emoriatur fomes impuræ luxuriæ, in periculum me inducens novæ contaminationis. Hac vel ſimili prece ora Filium Dei, vel Angelum ejus & lacrymas jungens luctare & invaleſce; non recedes ſine luce & benedictione. Hoc modo luctatus eſt S. Thomas cum Jesu crucifixo; coram Crucis ejus imagine genua cordis & corporis flectens cum lacrymis. Cumque variis motibus carnis agitaretur mirum in modum (immiſſa in ejus cubiculum puella, quæ eum ad libidinem inſtigaret) tandem prævaluit, & flens ad Dominum, benedictionem impetravit. Quapropter Angeli duo miſſi ſunt, qui eum præcingerent cingulo perpetuæ caſtitatis. Quod quidem ſacrum pignus adhuc hodie reſervatur Vercellis in Conventu S. Dominici. Omnis igitur adoleſcens, qui carnis agitatur ſimilibus motibus, recurrat ad ſimilia remedia in fervore orationis, & impetrata benedictione canere poterit cum Pſalte; *Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.*

*Gen.32.*

*Iuvenes, luctando caſti fiunt.*

*Gen. 46.*

*Eccl.11.*

*Oſeæ 12.*

*S. Thom. caſtitatem à Deo impetrat.*

*3. Iuvenculis.*

*Ruth.3.*

*Pudicitia facilè corrumpitur.*

Tertia benedictio concernit juvenculas, quibus illam opto quam Booz dediſſe legitur Ruth: *Benedicta es à Domino filia, quia non es ſecuta juvenes, pauperes ſive divites* Multæ filiæ in dedecora labūtur, quia non ſatis fugiunt juvenum conſortia, nec ſuaves & fallaces ſalaceſque ſermones, nec blanditias, oſcula, & âlias illecebras. Hæc ſanè magna circumſpectione evitare deberent, quaſi incantatoris & ſerpentis vocem, aut quaſi vocem ilicem, qua inſtar avis nimis credulæ in laqueos ducuntur & retia. Res omnino fragilis & delicata eſt pudicitia, facileque corrumpitur. Et ſicut dum fructus ſeſe mutuò tangunt, mox alter alterutri aliquid maculæ & corruptionis inſpergit: ita dum diverſi ſexus corpora ſeſe contingunt, facilè læſionem puritatis incurrunt. Benedicta igitur filia, quæ periculoſum fugit conſortium, quæ ſerpentinas vitat ſuggeſtiones, quæ colloquia nocturna familiaritateſque nimias odio habet, nec juvenes divites audiens, nec pauperes. O Virgo, etiāſi nubilis ſis, noli oblivisci faſciæ pectoralis tuæ, ſi à Deo benedictionem cupis impetrare, hoc eſt, ſemper eſto memor cinguli caſtitatis, quo affectus tui conſtringantur, ne diffluant at impura. Ne prodigas decorem & honorem tuum, juvenemq; irriſioni ne expone, qui ubi te leviorem ſuis explorarunt blanditiis, irrident, &

ſeſe jactitant poſſe tibi facilè opprobrium conflare, ſi vellent apud te eſſe importuni. Atque etiam parum eſt te caſtam eſſe corpore, niſi ſis & corde. Utinam poſſis dicere cum Sara conjuge Tobiæ. *Tu ſcis Domine, quia numquam virum concupivi, ſed ſemper mundam ſervavi animam meam. Numquam miſcui me cum ludentibus. & cum his qui in levitate ambulant participem me feci. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea, conſenſi accipere.* Tob. 3. Non poterat non benedictionem Domini in matrimonio ſperare, quæ ſe ita mundam ſervarat & corde & corpore; quæ nunquam oblita fuerat faſciæ pectoralis ſuæ. E contra, illæ poſt matrimonio infælicitati naſcentur, quæ omni viâ ambiunt matrimonia, etiam cum iis qui ſponſi erant futuri, coinquinationem non fugientes. Tales enim juſtè plectit Deus tribulatione carnis.

*4. Conjugatis.*

Quarta benedictio concernit eos qui matrimonio juncti ſunt. Horum benedictio continetur toto Pſal. 127. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus; Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, & bene tibi erit: Uxor tua ſicut vitis abundans: Filii tui ſicut novellæ olivarum: Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum, &c.* Timor Domini in conjugatis fons eſt omnis benedictionis; dumque eos ducit per vias Domini extimulans ad implendum ejus mandata, conſilia, inſpirationes, ſimul eorum laboribus benedicit. Quia hæc eſt promiſſio ejus: *Si mandata mea cuſtodieris, venient ſuper te benedictiones iſtæ: Benedictus eris in civitate, & benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructuſque agrorum tuorum.* Deut. 28. Simul etiam ubi timor Domini eſt, nulla injuſtitia regnat, ideo labores manuum ſuarum cum benedictione manducant, non verò alienos labores cum maledictione; non de hæreditate pauperis, aut pupilli, aut viduæ, aut de pane per fraudes, dolos, & circumventiones acquiſito, ſed de pane ſuo veſcuntur. Et hæc eſt benedictio Dei, quia *melius eſt parum cum timore Dei, quàm divitiæ multæ & inſatiabiles,* Prov. 25. neſcio quibus viis acquiſitæ, quæ vix benedictionem ſolent habere aut perpetuitatem; ſed mox avolant, & cum ærumnis deficiunt. Potiſſima autem benedictio conjugatorum eſt, ſi pax & amor domi regnent, ita ut cum ſuavitate idem conjugii jugum dilectione ſpirituali melius factum trahant, ad æternam tendentes ſalutem: ita ut non ſint ſicut equi contumaces & rebelles qui currum, cui colligantur, in diverſa trahunt, verſant, reverſant. Hoc enim frequenter contingit, ut vel uxor viro ſua rebellione ſit cauſa damnationis, vel vir uxori ſua pervicatia, & adminiſtratione prava. Fœlix conjugium & à Deo benedictum, ſi vir & uxor conſentiant, & ſeſe mutuò ad familiæ providam adminiſtrationem, ſimulque ad Dei gratiam conciliandam, pari conatu adjuvent.

*Quod cōjugium ſit fœlix dicendum.*

Fœlix conjugiū, ſi uxor tamquam vitis in lateribus domus quieta fructificat in prolibus, tanquam ſacra propagine. Si filii tanquam plantulæ olivarum ſint ductiles & virentes, in ſpe & timore Dei educati, ut tandem in bonis eorum moribus parentes valeant, oblectari. Benedictum conjugium, dum vir in circuitu menſæ filios ſuos alit, erudit; dum ſympoſia & popinas non frequentat ſua prodigens, ſed frugali portione contentus benedicit Dominum in donis ſuis, dicens cum Job: *Omnipotens erat mecum, & pueri mei in circuitu meo. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum;* Job. 29. quia benedicet ei Dominus, benedictione temporali & ſpirituali, benedictioneque æterna in cœleſti Jeruſalem, poſtquam hic in filiis fuerit benedictus. Omnibus igitur conjugatis his anni auſpiciis omnes has benedictiones peropto, ut per annos hujus temporis ad æternos valeant pertingere, jugiter Deum cum prolibus laudaturi.

*5. Viduis.*

Quinta benedictio concernit viduas, de quibus apud Pſalmiſtam dicitur: *Viduam ejus benedicens benedicam.* Pſ. 31. id eſt, multiplici benedictione replebo eas, quæ veræ viduæ ſunt, illas ſolabor in deſolatione, eis adero in omni afflictione, eis pro viro ſerviam in omni negotio, ſi ſpem ſuam fixerint in me. Utique multiplex Dei benedictio non deeſt illis, quæ verè viduæ ſunt, caſtæ, quietæ, modeſtæ, nihil niſi obſequium Dei reſpirantes, renunciantes ſecundis nuptiis, ut illi perfectius poſſint ſervire, & corpurius offerre. Unde Apoſt. 1. Cor. 5. *Quæ verè vidua eſt & deſolata; ſperet in Deum, & inſtet orationibus & obſecrationibus nocte ac die.* Chriſtus enim, (*1. Cor. 5.*) volens eis eſſe inſtar Patris & Mariti, orationem inſtituit tanquam medium, per quod vult cum eis familiariter converſari, & tamquam remedium, per quod eorum infirmitati optat providere, & benedictionem omnem impertiri. Et licet oratio ad omnia Chriſti membra ſpectet, potiſſimum tamen viduis commendatur, quæ aſpirare debent ad faciem Chriſti, Mariti ſui & Conſolatoris; quia per illam hunc quem nondum intuentur præſentem in ſpecie, intuentur tamen in ſpe, & ejus opem experiuntur certa fide.

*Viduis præter caſtitatem commendatur oratio.*

Quod ſi exemplum cupis viduarum à Domino benedictionem ſpecialem accipientium, habes in veteri Teſtamento Judith, habes in novo Teſtamento Annam viduam, Judith quidem benedictionem obtinuit, quia cum ancillis ſola in conclavi morabatur in ſuperiori parte domus ſuæ, & cilicio induta jejunabat omnibus diebus viduitatis ſuæ, præter Sabbata, & Neomenias, & Feſta domus Iſrael. Jud. 8. Unde poſtmodum obtruncato Holoferne victrix rediens, quæ totam ſpem hujus negotii in Deo Protectore ſuo poſuerat, audire meruit acclamationes fauſtas populi dicentis: *Benedixit te Deus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redigit inimicos noſtros* Jud. 13. Anna verò vidua, quia non recedebat à templo, orationi inſtans, & exſpectans redemptionem Iſrael, quem oculis fidei jamdiu erat intuita, tandem meruit oculis corporis cernere, & brachiis amplecti, lachrymiſque devotionis irrigare, benedicens corde & ore Dominum à Domino benedicta. Et paulò poſt vinculis exſoluta corporis hujus, ac in pace dimiſſa, divinitatis ejus ſpeciem

*Exempl. vid.*

ſpeciem limpidè potuit intueri in Chriſti reſurrectione, & æterna frui benedictione. Hanc igitur benedictionem quam Anna & Simeon à Domino impetrarunt, Luc.2. viduis & ſenioribus toto corde exopto, ut det eis Dominus poſtremam vitæ ſuæ partem ſic ejus obſequio dicare, ut tandem mereantur in pace dimitti, & brachiis amoris Chriſtum complectendo cygneum illud fœlix occinere: *Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace.* ac tandem in cœlis perennante gaudere benedictione. Veniant ergo cum Anna vidua, veniant ſeniores cum Simeone, & Chriſtum parvulum adorent, illique canos ſuos offerant. Imo offerant vitam & mortem cum pleniſſima reſignatione & charitate; cruoreq; circumciſi pueri aſpergant canos ſuos & purpurent eos rubicundo hoc latice, quia virtute illius omnis in nos promanat benedictio.

*6. Sacerdotibus & Dei Miniſtris.* Sexta benedictio concernit Sacerdotes & Miniſtros Dei. His illam optamus benedictionem: *Benedictio illius qui apparuit in nube, ſit ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos* Deut.33. Quinam ſunt Nazaræi inter fratres, niſi Sacerdotes? Nazaræus, id eſt, ſegregatus, conſecratus, coronatus: hi ergo qui ad miniſterium ſpeciale Dei ſegregantur, conſecrantur & coronantur. Nazaræi ſunt; & à Chriſto in rubo Crucis manus protendente, ſummo Sacerdote & Nazaræorum Principe, debent benedictionem poſtulare, ut ſancti ſint in omni converſatione, ſicut Sanctus eſt is qui eos ſanctificat. Meminerint in omni miniſterio & converſatione ſe Nazaræos eſſe, hoc eſt, conſecratos & ſegregatos à plebe, ideoque prælucere debere pietate & puritate. Meminerint coronæ ſuæ, quæ dignitatis regiæ ſymbolum eſt, quam in Sacerdotio ſuo acceperunt à Chriſto Rege & Sacerdote, ut animum regium & excelſum, à terrenis avulſum, & ad cœleſtia elevatum exhibeant. Sint ipſi veri Eccleſiaſtici; hoc eſt, Matris Eccleſiæ primogeniti & ſpeciales filii, fratrum curam habentes, eis exemplo vitæ ſanctæ præeuntes. Sint verè de clero, hoc eſt, de ſorte Domini. Hæc enim erit ſors & benedictio eorum, ſi verè poſſint dicere, quod eis in ſua ad ſtatum Eccleſiaſticum aſſumptione injunctum eſt: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi* Pſal.15.

*Apoſtrophe ad Chriſtum.* OBſecro igitur te, Domine, cùm in manibus tuis ſit ſalus noſtra, reſpice nos favore gratiæ tuæ, ut læti ſerviamus tibi. Et cum à te ſolo in populum benedictio poſſit promanare; illam impertire pueris, ut creſcant ætate & pietate: illam impertire juvenibus & adoleſcentibus, ut tibi ſerviant in caſtitate: illam impertire adoleſcentulis, ut meminerint faſciæ pectoralis ſuæ & cordis munditiæ: illam impertire conjugatis, ut vivant in juſtitia & mutua dilectione prolesque alant in Dei timore: impertire illam viduis & ſenioribus, ut te colant ſincerè in ultima ſua ætate: illam impertire Sacerdotibus tuis & Miniſtris, ut immaculati ſint in omni converſatione, aliiſque noverint præmicare face ardentis zeli, face pietatis & doctrinæ; ſicque cum populis ſibi commiſſis ſalutem aſſequi, & æternum te benedicere.

## EODEM FESTO.

*Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, &c.* Pſal.66.

PRaxim optimam docebat S. Chryſoſt. populum Antiochenum, ad fæliciter annum novum auſpicandum, quæ etiam non ſine fructu plebi cuilibet à Paſtoribus & verbi divini Præconibus brevi ſermone proponi poterit. Ubi annum, *inquit*, expletum videris, gratias age Deo, qui te ad hanc, annorum circuitionem perduxit. Exſtimula cor tuum, & totum vitæ tuæ tempus tecum reputa, tecum ad hunc modum verba facito: Dies avolant, & prætereunt; anni finiuntur, magnam vitæ noſtræ partem confecimus; quid boni à nobis factum eſt? Judicium Dei præ foribus eſt, & reliquum vitæ tempus ad ſenectutem vergit. Hæc in annorum revolutionibus revolvo. Hæc porrò verba aliquot Monita continent ad fœlix anni auſpicium apta; quæ ordine quodā in particulari hic breviter explicabimus. LECT. 9. *Pro fœlici exordio anni monita continet.*

PRimò igitur agendæ ſunt gratiæ Deo pro præterito, quòd ſcilicet ad ætatem iſtam incolumes nos perduxit. Neque hic exiguum eſt Dei beneficium; plerique enim infœliciter ſunt abrepti, nos autem benignitate ſua conſervare dignatus eſt, ut ad meliora ſtimulum nobis ſubjiceret. Certè ſingulis momentis ab eo pendemus, & ejus fruimur favore & bonitate. Vitæ noſtræ ſtamen & filum in manu ejus eſt: abrumpere illud poſſet, dum infœlici in ſtatu agimus; dum adhuc ordimur telam; poſſet illam ſuccidere noſtro malo: attendamus ergo nobis, nec ſimus ingrati illi, à quo tota noſtra pendet fœlicitas, ſalus, gloria. Dicimus cum humilitate & gratitudine: *Ego autem ſperavi in te Domine; dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ* Pſ. 30. Alia habet lectio: *In manibus tuis tempora mea.* Anni, menſes, dies, horæ noſtræ in manibus Domini, imò æternitas noſtra, & ſors perennis fœlicitatis vel infœlicitatis; illas ergo manus frequenter reſpiciamus oculo humilitatis & pietatis. Solebant Antiqui primo & ultimo die anni, Fortunæ tamquam Deæ, à qua omnia negotia fœliciter vel infœliciter dirigi exiſtimabant, menſam inſtruere, & ei ſacrificare: ut Deam illam ſibi toto anni ineuntis decurſu conciliarent, & pro anno elapſo gratias agerēt. Unde, quia Iſraelitæ quidam hunc morem Gentilium imitabantur, graviſſimæ eos reprehendit Dominus: *Væ qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam, qui Dominum dereliquiſtis, & obliti eſtis montem ſanctam meam.* Iſa.65. In quem locum ſic ait S. Hieron. *Eſt in cunctis urbibus, & maximè in Ægypto, idololatriæ vetus conſuetudo, ut ultimo die anni ponant menſam refertam variis generis epulis, vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auſpicantes,* 1. Monit. *Deo agenda gratia pro præterito.*

*hoc autem faciebant Iſraelitæ omnium ſimulacrorum portenta venerantes.* Et fortaſſe etiam inde manavit conſuetudo quorundam Chriſtianorum, qui ultimo die æquè ac primo convivia ineunt, ut præteriti anni fælicitatem lætitiâ terminent, & novi proſperitatem auſpicentur & apprecentur. Hæc quidem non adeo reprobamus, ſi modeſtia & temperantia Chriſtiana his in conviviis obſervetur, & fœlicitas non à Fortuna tanquam Dea ſed à Deo & ejus providentia, quæ fortunam omnem regit, exſpectetur. Magis autem commendamus, ut primo die anni, annorum & fæculorum Regi gratias agamus per ſacram Synaxin & menſam, per ſacrificium gratiſſimum, per quod omnis noſtra fœlicitas eſt auſpicanda & terminanda. Hoc ſcilicet pio & grato animo practicant veri Chriſtiani.

*2. Recogitandũ tempus præteritũ quomodo impenſum.*

Secundò, non ſolum gratiæ agendæ ſunt pro beneficiis perceptis, ſed etiam in memoriam revocandi ſunt dies & menſes anni præteriti malè impenſi. Recogitandum qualiter tempus pretioſum impenderis, quomodo gratia Dei uſus fueris, quomodo vocationi ſatisfeceris. *Omnes quaſi aquæ delabimur ſuper terram,* & ſicut unda unda, ſic dies diem protrudit. Sed ad abyſſum non pauci fluunt, cùm ad vitæ fontem deberent refluere. *2. Reg. 14*

*Ovid.*

*Nec quæ præteriit, rurſum revocabitur unda;*
*Nec quæ præteriit, hora redire poteſt.*

Melior certè vitæ portio multis inanis & vacua præterfluit; deterior ſuccedit, nec proſpiciunt. Magna pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, penè tota aliud agentibus. *Simile.* Sicut vinum è dolio effluens feces reſiduas facit, ſicut torrens ſordes relinquit, ſicut candela extincta fœtorem parit; ſic fæces peccati, ſordes animæ, remorſus conſcientiæ, fœtor prioris vitæ apparet & ſentitur in fine, non ſine dolore, & fruſtra tunc inclamatur:

*O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos!*

*4. Eſd. 4.* Dicimus ergo unicuique, quod olim Angelus Eſdræ: *Pondera pondus ignis, menſura flatum venti, revoca diem quæ præteriit.* Ingrediatur unuſquiſque ad cor, dum adhuc tempus eſt, dum nobis benignitate divina annus: & ponderando ignem divini amoris, ignemque æternæ damnationis, ſimulque brevitatem vitæ conſiderando, quæ non eſt niſi flatus venti, conetur revocare menſes & dies præteritos vanè vel impiè impenſos; ſic proſperè poterit auſpicari novos.

*3. Faciendum propoſitum non recurrendi ad mala antiqua.*

Tertiò, pro futuro, forti planè propoſito obfirmandus eſt animus, ut ad priores offenſas non recurrat; ſed ad meliora porrò tendat. Sed eheu! tota ferè vita noſtra in propoſitis inanibus fluit. Cum Sampſone cæco eandem molam ſemper vertimus in circuitu, eandemque viam imus & redimus. *Iud. 16.* Volvuntur anni, & in illis ac cum illis magnis involvimur, ſicut in labyrintho agimus, quo magis progredimur, magis intricamur. Similes quoque ſumus oſtio, quod in cardine volvitur continuò, ſed non egreditur; ſic & nos in vitiis noſtris & imperfectionibus volvimur, & volentes egredi, iterum involvimur. Hoc tamen ſcire debemus, parum eſſe proponere, & continuò propoſita pia renovare, ſed nihil ad effectum deducere. Infernus, ut dici ſolet, plenus eſt bonis propoſitis; ſed cœlum plenum bonis operibus, & nonniſi illis & efficaci illorum voluntate acquiritur. Quid igitur?

*4 Ad propoſitum perficiendum gratia Dei invocanda.*

Quartò, invocanda eſt cum humilitate & fervore gratia & benedictio Dei, ut dignetur per illam propoſitum melioris vitæ in nobis firmare & radicare. Invocandum & auxilium Matris Dei, & Angeli noſtri, qui jam quaſi de novo, anno ſeſe revolvente renovante, curam noſtri ſuſcipit; renovatque tutelam, ſi voluntatem renovemus, cor & conſcientiam. Dicamus ergo: *Benedices Domine coronæ anni benignitatis tuæ.* *Pſal. 64.* Quaſi dicat unuſquiſque fidelis: Ecce Domine coronam texui anni præteriti, & tua benignitate adimpleta eſt, & conſummata corona iſta, qui filum illius, dum adhuc ordirer, poteras ſuccidere, & de mane uſque ad veſperam me finire. *Iſa. 38.* Novam verò anni hujus iterare coronam neceſſe eſt & nequeo ſine benignitate tua, non valeo eam protelare ſine gratia tua. Ergo tu qui es ſemper is qui eſt, cujus anni non deficiunt, in te fluentes annos noſtros & tempora rege & tempera, benedictione tua illa proſequere, ut dum mutamur de anno in annum, de menſe in menſem, de die in diem, non mutemur in te, ſed firmiter adhæreamus tibi, qui æternus es, ut æternitatis tuæ immutabilis tandem plené valeamus eſſe conſortes, in illa ſcilicet civitate Jeruſalem, cujus participatio eſt in idipſum.

S. Auguſtinus ad hanc æternitatem DEI participandam aſpirare nos docet explicans illud; *Jeruſalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipſum.* *Pſal. 64.* Ubi eleganter ſic dicit: Fratres quiſquis erigit aciem mentis, videat quid eſt in idipſum. Idipſum quomodo dicam, niſi idipſum? Fratres, ſi poteſtis, intelligite quid eſt idipſum. Nam & ego quicquid aliud dixero, non dico idipſum: contendimus tamen quibuſdam vicinitatibus verborum & ſignificationum, perducere infirmitatem mentis ad cogitandum idipſum. Quid eſt idipſum? Quod ſemper eodem modo eſt quod non modò aliud, & modò aliud eſt. Quid eſt ergo idipſum, niſi quod eſt. Quid eſt quod eſt? Quod æternum eſt. Nam quod ſemper aliter & aliter eſt, non eſt, quia non manet. Non omnino non eſt, ſed non ſummà eſt. Et quid eſt quod eſt, niſi ille qui Moyſi dicit: *Ego ſum, qui ſum?* *Exod. 3.* *Dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos.* Ecce idipſum. Non potes capere; multum eſt intelligere, multum eſt apprehendere. Hæc ibi hac de re Auguſtinus, qui & paulò pòſt proſequitur ſermonem de mutabilitate noſtra in annis & diebus, & de immutabilitate Dei explicans illud: *Mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es; & anni tui non deficient.* *Pſal. 101.* Ecce, inquit, idipſum, cujus anni non deficiunt. Fratres, nonne anni noſtri quotidie deficiunt? Nec ſtant omnino. Nam & qui venerunt,

jam non ſunt, & qui futuri ſunt, nondum ſunt. Jam illi defecerunt, & illi defecturi venturi ſunt. In hoc ipſo uno die, Fratres, ecce modò quod loquimur, in momento eſt: præteritæ horæ tranſierunt, futuræ nondum venerunt, & cum venerint, tranſibunt & deficient. Qui ſunt anni non deficiunt, niſi qui ſtant? Si ergo ibi anni ſtant, & ipſi anni qui ſtant, unus annus eſt; & ipſe unus annus qui ſtat, unus dies eſt, quia ipſe unus dies nec ortum habet nec occaſum, nec inchoatur ab heſterno, nec excluditur à craſtino, ſed ſtat ſemper ille dies. Et quod vis vocas illum diem: ſi vis anni ſunt, ſi vis dies eſt, quodcumque cogitaveris, ſtat tamen: illius ſtabilitatis particeps eſt illa civitas, cui participatio eſt in idipſum. Hactenus Auguſt.

*5. Mens ad æternitatis conſiderationem reflectenda.*

Quintò itaque monemus, ut cum de anno in annum progredimur, & agnatam nobis mutabilitatem, tum in ætate & tempore, tum in corpore, tum in corporis diverſa conditione, tum etiam in animi varia affectione agnoſcere cogimur; mentem ſeriò ad æternitatis conſiderationem & amorem convertamus. Ibi omnia ſtabilia, omnia firma, in eo qui ſemper idem eſt, in eo qui idipſum eſt. Ad hanc æternitatem & divinæ ſtabilitatis participationem contendere nos voluit Chriſtus Dominus; & propterea ad nos venit, mutabilitatique & miſeriæ humanæ in aſſumptione carnis ſe ſubjecit, ut ſuæ immutabilitatis nos tandem faceret participes & beatitudinis. *Natus eſt nobis in volubilitate temporis, ut nos perduceret ad æternitatem Patris*, inquit S. Auguſtinus ſerm. 13. de temp. Rogandus igitur eſt humillimè per annos benignitatis ſuæ, quos hic nobiſcum dignatus eſt agere ter denos, coronam dierum ſibi a Patre conſtitutorum in hac mortali vita ſic adimplens, ut per illam coronam, annorum noſtrorum coronæ benedicat, ſicque anni noſtri ab ejus annis, menſes noſtri ab ejus menſibus, dieſque & horæ noſtræ ab ejus diebus & horis dirigantur, & benedictionem participent; donec tandem pertingamus ad menſuram illam perfectam ætatis plenitudinis Chriſti, & occurramus in virum perfectum. Rogandus eſt, ut per pueritiam ſuam & infantiam veram in nobis renovet innocentiam, ut ſine dolo quaſi modo geniti infantes lac gratiæ avidè concupiſcamus; nec amplius de illorum numero cenſeamur, de quibus Propheta dicit: *Inundationem maris quaſi lac ſugunt*. Hoc de illis verum eſt, qui ſæculi hujus cupiditatibus amaris inhiant, quaſi ſuavitatem lactis perciperent; ſed poſtmodum amaritudinem & ſalſedinem experiri coguntur, non ſolùm per variam conſcientiæ remordentis alterationem, ſed etiam per æternam ſitim, in qua vel unicam aquæ guttam cum Epulone ad refrigerium expetent. Sed in æternum eam non reperirent, quia tempore opportuno lac gratiæ, vinum charitatis, aquam vitæ oblatam reſpuerunt.

*Deut. 33.*

Hæc porrò omnia, quæ requirimus ad fœlicia anni auſpicia jacienda, inſinuata videntur, & quodam compendio comprehenſa in illo & ſecum orare nos docet rex & Propheta, *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri: Ut cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.* Deus miſereatur noſtri pro tempore præterito & malè impenſo: & benedicat nobis pro præſenti, ut fæliciter proponamus meliorem inchoare vitam: illuminet vultum ſuum ſuper nos pro futuro, ut firmum propoſitum exequamur, & veri luminis participes videamus quæ agenda ſunt, & ad ea perficienda convaleſcamus. Et miſereatur iterum noſtri, tam pro præterito atque præſenti, quàm pro futuro; quia in omni & pro omni tempore ejus miſericordia debet in nobis elucere. Debet enim præire, comitari, ſubſequi. *Miſericordia ejus præveniet me.* Et alibi: *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Denique in prædictis Prophetæ verbis tota Sanctiſſima Trinitas indicatur, cujus ope & gratia omnia noſtra diriguntur. Dum enim dicit: *Deus miſereatur*, ecce Pater. Dum addit: *Et benedicat nobis*, ecce Filius. Dum adjicitur: *Illuminet vultum ſuum ſuper nos*, ecce Spiritus Sanctus. Dum repetitur: *Et miſereatur noſtri*, indicatur tota Unitas & ſimul Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Quod in fine ejuſdem Pſalmi ſpecialius deſignatur, dum dicit: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Benedicat nos Deus, ecce Pater: Deus noſter, ecce Filius, qui carnem pro nobis aſſumens ſpecialiter Deus noſter factus eſt: Benedicat nos Deus, ecce Spiritus Sanctus. Nomen ergo Dei ter repetitum Trinitatis eſt ſignaculum, à qua omnis promanat benedictio. Tandemque additur: *Et metuant eum omnes fines terræ*, non dicit, metuant eos in plurali, ſed eum in ſingulari, ut unitas eſſentiæ deſignetur.

*Pſal. 66.*
*Pſal. 58.*
*Pſal. 22.*

Sed ad quem finem omnis iſta benedictio petitur & repetitur? Utique non ad alium, quàm ut cognoſcamus in via hac tenebroſa circuitus & anfractus varios habente, veram viam, viam ſalutis & vitæ. Ut benedictione & lumine divino præeunte, non nimis deflectamus ad dextram per præſumptionem & nimiam de ſalute confidentiam; neque nimis vergamus ad ſiniſtram per timorem anxium cum puſillanimitate & diffidentia conjunctum; neque ambulemus in circuitu per latam ſæculi viam: ſed breviorem & ſecuriorem ſectandò ſemitam, tandem mereamur videre ſalutare Dei, hic per gratiam, in futuro per gloriam, ejus divinitate & humanitate in æternum perfruentes.

**Concluſio.** *Cum oratione ad Chriſtum.*

Ita, ô Domine Jesu, fac ut pio corde pro præteritis tuis beneficiis gratias rependere valeamus, omnemque proſperitatem noſtram, ſive in temporalibus, ſive in ſpiritualibus, agnoſcamus perfecta fide à te ſolo dependere. Reduc quoque nobis in memoriam cum amaritudine annos, menſes, dieſque noſtros contra honorem tuum impenſos; ut poſſimus per pœnitentiam eos revocare, & ma-

culas in illis contractas lacrymis cordis obliterare, ne ſerò nimis cogamur pro illis in vanum ingemiſcere & plorare. Propoſitum verò perfectioris vitæ & emendationis noſtræ ſic radica in nobis, ut non ſit inſtar folii, aut floris, levi tentationis vento mox decidentis; aut inſtar vineæ, quæ primâ pruinâ læditur in ſuo flore. Adjuva ad excindendas omnes occaſiones ad reiteranda peccata nos illectantes. Adjuva ad diſrumpenda omnia vincula, omneſque iuſtitias funereas, in mortem animæ denuo nos pertrahentes. Denique æternitatis, cujus nos facere vis conſortes, fac nos ſemper memores; ut dum altè inſidet animo noſtro, & illam proſpicimus, ignorantiæ noſtræ tempora deſpiciamus, & ad illam aſpiremus, quæ perennat, beatitatem. Ita Domine benedic nobis, benedic annis mortalitatis noſtræ: benedic coronæ, quam continuò teximus tua benignitate; hoc obſecramus te humillimè per ſacratos annos pueritiæ. adoleſcentiæ, juventutis & totius ætatis tuæ. Rogamus per lacrymas, quas infans dediſti, per ſanguinem, quem hodie fudiſti, per circumciſionis dolores per nomen Jesu, nomen Salvatoris, quod pro fœlici nobis omine à Patre accepiſti, ut numquam ſeparemur à te, ſed æternum nobis ſis Jesus & Salvator.

Exempla.

IMitandus eſt his anni initiis Nobilis ille, Rolandus nomine, de quo in Chronicis PP. Dominicanorum. Hic cum diem quemdam feſtivū ſplendidus veſte, in epulis, jocis choreis, omnibuſque oblectationibus cum amicis traduxiſſet, veſpere in cor ſuum ingreſſus, & præterita hæc omnia ſecum ſeriò volvens, exclamat. Eheu! ubi nunc feſtum, quod egimus? ubi diei totius lætitia? ubi epulæ & joci? ubi cætera omnia? Nimirum ſicut hic dies, ſic & reliqui tranſibunt, ſicque omnis vita tranſcurret, nihil poſt ſe relictura, niſi æternum pœnitere. Dixit hæc ſecū ſerò, & ſeriò dixit: nam exinde ad meliorem vitam exſtimulatus, non diſtulit, ſed poſtero die S. Dominici inſtitutum, ut pœnitentiam ageret, eſt adorſus, in quo ſanctitate & doctrina celebris fuit. Qui ingredi voluerit ad cor novum auſpicans annum, quique voluerit præteriti anni dies revolvere, illos evolaſſe reperiet ſine fructu, & multa cum vanitate; hoc ergo ei ſtimulum ſubjiciat ad meliora, niſi ſerò nimis & æternum velit pœnitere. Nec de die in diem proponat ſine effectu; nam mors non infrequenter abrumpit cum filo vitæ inania propoſit. ac multi annum ſubſequentem non ſunt viſuri, qui præſentem divino non impendunt obſequio. Cogitent hi, quid vellent feciſſe in hora mortis.

Audi & aliud exemplum ex S. Petro Damiano. Quidam primo die Januarii tempeſtate jactus, voverat Religionem ingredi, ut ſaluti ſuæ certus conſuleret: ſed è naufragio erutus votum ſolvere hujus vitæ amore contempſit. Expleto anno, ipſo primo die Januarii, dum cum aliis juvenibus diſcurreret; & choros duceret in ſcurrilibus cantilenis, ſubitò lapis de tecto ſuper eum cecidit, & obtrivit. Sic infœlix ille, qui mundum deſerere noluit ultroneus, amiſit invitus; & fallacem carnis dulcedinem perdidit, quia amando carnem mentitus eſt veritati. Hæc P. Damianus.

## EODEM FESTO.

*Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* Geneſ. 27.

LECT. 10

*Varios flores in ſtrenam offert.*

IN hortis terreſtribus non inveniuntur flores hyberno tempore: at in Horto Nazareni, hoc eſt, Sponſi floridi, omni tempore inveniuntur, quia benedixit ei Dominus. Imo ipſe eſt flos, qui hodierna die in media hyeme in acerrimo frigore exortus eſt; & mox inſtar roſæ antea clauſæ incipit aperiri, & ruborem pandere per ſanguinis ſui aſperſionem primam. Flos nimirum ipſe eſt candidus & rubicundus, qui radiis ardentibus caritatis jam ſeſe expandit, & demonſtrat ardorem interiorem rubore exteriori; ſimulque odorem gratiſſimum afflat peccatoribus, & piis omnibus, qui eum contemplantur. Hic eſt flos, de quo Propheta prædixerat *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus* Domini Iſa 16. Quod explicans Richardus de S. Vict. ait: Quid flore formoſius? quid flore fragrantius? quid flore fructuoſius? In flore mellificatio, ex flore fructificatio: ex flore favus & fructus, in favo mel & cera, in fructu potus & eſca; imò in flore eſt medicina.

*Chriſtus flos.*

Hic flos Jesus factus eſt nobis medicina, ex illo mel, ex illo cera in ipſo potus & eſca. Medicina in redemptione, potus & eſca in juſtificatione, mel & cera in glorificatione. Ex hac medicina ſanitas incorruptibilitatis, ex ejus eſca refectio internæ ſatietatis, ex ejuſmodi potu ebrietas æternæ ſecuritatis: de ejus cera ſplendor ſummæ claritatis, in ejus melle dulcor indeficientis fælicitatis. Hactenus ille. Ex quibus collige, quàm bene Chriſtus dicatur floridus & Nazarenus, flos in infantia fragrantiſſimus, qui jam incipit fructum ferre redemptionis de ſpina circumciſionis, & poſtea omni ex parte in crucis roſeto expanſus, & perfectè rubens, maturiſſimum fructum proferet ejuſdem conſummatæ redemptionis de ſpina acerbiſſimæ Paſſionis.

*Hortus Chriſti ſemper floridus. v. Sur. 5. Febr.*

Semper itaque floret Hortus Nazareni. Hortus, ad quem ipſe toties in Canticis Sponſam ſuam invitat ut flores colligat & lilia, quæ nullo deſunt tēpore, ſicut nec fructus. Ex illo Horto B. Dorothea media hyeme Theophilo Judici roſas promiſit martyrio vicina, & mox eas miſit à morte ſua; ita ut earum odore & pulchritudine mox converſus fuerit Theophilus ad fidem Nazareni, quam antea impugnabat & irridebat.

*v. Vitam S. Cæciliæ apud Ribad. vel Surium.*

Ex eodem horto prodierunt illæ corollæ ex liliis & roſis textæ in media hyeme, ſymbolum virginitatis & martyrii præferentes, quas Angelus detulit ad Cæciliam, quarum odore & ſpecie Valerianus

nus ejus ſponſus non ſolùm ad colendam virginitatem, ſed etiam ad martyrii infracto animo ſuſcipiendam coronam eſt animatus.

*v. Sur. 6. Ian.*

Ex eodem horto eodem hyberno tempore collecta ſunt illa lilia & flores fragrantiſſimi, quibus conclave & thalamus Juliani & Baſiliſſæ refertus fuit, quorum odore ad virgineum florem in matrimonio conſervandum Baſiliſſa fuit inducta, incredibili ex his floribus perfuſa gaudio in medio Angelorum & Sanctorum choro.

Selegi & ego ex eodem horto aliquot flores & viridantia folia odorem ſuavem ſpirantia, ut hocce anno ineunte, id quod unicuique juxta ſortem ſuam vel ætatem congruit, in Xenium proponam, & muneris ſui eos ſic commonefaciam. Incipiendum nobis igitur ab eminentioribus & ſenioribus; deinde ad juniores & inferiores progrediendum eſt.

*Strena Eccleſiaſticorum flores amygdali.*

Primò quidem Sacerdotibus & Eccleſiaſticis, qui in ſtatu Deo conſecrato cæteris præeminent, in Xenium & muneris ſui ſacrum ſymbolum offero flores amygdali ex horto JESU Nazareni. Hos flores dum contemplantur, intelligere debent, quod ſicut amygdalus inter cæteras arbores prima flores producit, ſic & ipſi aliis omnibus debent præflorere pietate & perfectione vitæ; cæteroſque fideles, velut arbores in myſtico Dei horto plantatas exemplo ſuo ad flores producendos invitare. Ideo enim de virga Aaronis, quando ſupremi ſacerdotii dignitate fuit inauguratus, dicitur: *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Num. 17. Mox etenim è virga ſicca flores viſi ſunt erumpere, & illico etiam forma florum mutata & deſinente, gemmæ mutatæ ſunt in fructus amygdalinos; & hoc fuit manifeſtum indicium electionis divinæ ad ſacerdotium. Cujus rei pleniorem ſignificationem hic prætermitto, latius à nobis explicatam in libello de Sacerdotio, quem intitulamus, *Virga Aaronis*; illuc remittimus Lectorem ad Tractatus primi lectionem primam & ſecundam, ubi reperiet monita Sacerdotes & Eccleſiaſticos concernentia, ab hac virga & Sacerdotali amygdali flores & fructus producente deſumpta.

*Strena ſenum heliotropium.*

Secundò Senioribus ætate, in quolibet agant ſtatu, pro Strena & Xenio offero Heliotropium, ſive florem Solis. Nempe ſicut flos ille ideo Solis flos nuncupatus eſt, quia ſemper reſpicit Solem, & ad ejus motum ſe gyrat & movet: ſic & ipſos ſaltem in extrema ætate convenit Solem juſtitiæ & gratiæ tota cordis intentione reſpicere, ad ejuſque nutum omnes cogitatus & actus ac vitæ ſuæ reſiduum gyrare & conformare. Totos ſe Chriſto reſignent ſi velint ambulare in luce, & dies ſuos finire in ejus lumine, ipſe enim dicit: *Ego ſum lux mundi qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Joan. 8. Quem locum explicans S. Auguſt. Tract. 34. in Joan. ſic eleganter ait: Sequere Solem iſtum viſibilem, ſi ipſe tendit ad Occidentem, quo & ille tendit; & ſi nolueris tu illum deſerere, ipſe te deſeret in Occaſu. Deus verò tuus ubique eſt totus, ſi non ab illo facias caſum, nunquam à te faciet ille Occaſum. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, *inquit ipſe.* Hæc Auguſtinus. Semper ergo reſpiciant Chriſtum, qui jam ſepulchro & tenebris mortis proximi ſunt, & dicant cum diſcipulis: *Mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit.* Luc. 24. Non videbũt mortem, ſi teneant ſecum vitam: non videbunt umbram, ſi teneant Solem, ſed poterunt dicere: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Pſal. 22. Sicut heliotropium cum Sole ſe claudit, ſed ad Solis ortum & radios iterum ſe aperit: ita meminerint ſenes, quod ſi cum Chriſto Sole ſuo extremum diem claudant vitæ, mox in altera vita ſe novum & perpetuum Orientem inventuros, ut refloreant, & iterum amœniſſimè revireſcant, nunquam clauſulam ulterius habituri, quia ibi Sol ſuos nunquam retrahet radios. Studeant igitur ætatis ſuæ poſtremum curſum rectè peragere, ut intrepidi occurrere valeant caligini & umbræ mortis, lucem inventuri in tenebris: nec ſepulchrum poterunt horrere, ex quo vitam poterunt haurire. Illi verò, qui poſtremam ætatem Deo conſecrare contemnunt, Deo planè & hominibus odibiles ſunt.

*Senex fatuus quis.*

Nam ſic teſtatur Dominus: *Tres ſpecies odivit anima mea, pauperem ſuperbum, divitem mendacem, ſenem fatuum.* Eccl. 25. Qui ſunt ſenes fatui, niſi illi, qui ætate florida jam eos deſerente, in vitiis manent inveterati, æquè ſcilicet in ſenectute ac in juvenili ætate ebrioſi, blaſphemi, luxurioſi, maledici, & temporalibus rebus toti affixi? Quid ſtolidius, ſi mens ad perfectionem feſtinare non contendat, quando totius corporis habitus ad interitum properat? Quæ major ſtultitia & abuſus, quam ad oſtium hujus mundi ſtare ad egrediendum, nec tamen vitæ præſentis egreſſum, nec futuræ ingreſſum conſiderare? Hos ergo odit Dominus: hos æternum infœlices à ſe expellit mundus; ad hos excipiendos præ gaudio ſe dilatat infernus. Nos interim monemus, & ad meliora eos inſtigamus per florem Solis quem ad imitationem eis proponimus, ut æternum in luce vivant, æternumque floreant.

*Ramus olivæ ſtrena conjugatorum.*

Tertiò; his qui in conjugio agunt, in Strenam & Xenium offero Olivæ ramum de horto noſtri Nazareni. Quid ita? Quia Oliva ſemper fuit ſymbolum pacis, & ad eam ſignificandam Columba emiſſa ex Arca, *ad veſperam venit ad Noe, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo* Geneſ. 8. Significabat nimirum ramus olivæ ſecuritatem ab aquis, pacemque & fœdus cum Deo, diluvio jam ceſſante. Meminerint ergo conjuges hoc olivæ ſymbolum contemplantes pacem domeſticam & concordiam perfectam ſemper ſibi curæ debere eſſe & cordi. Meminerint iterum, quod ſicut oliva pinguedinem ſuum communicat, & in noſtrum derivat uſum; ita ſe tamquam olivas fructiferas in domo Dei eſſe plantatas, ut de benedictione ſibi à Deo communicata, aliis indigentibus beneficentiæ oleum nove-

ſunt

rint communicare. Unde eos monebat Apoſtolus: *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci*: quod fit per opera miſericordiæ, cujus oliva etiam ſymbolum ſolet eſſe. Unde S, Gregor. Hom. 6. in Ezech. de odore diverſarum virtutum agens, ſic dicit: *Aliter olet flos uvæ, quia magna eſt prædicatorum virtus & opinio, qui inebriant mentes audientium. Aliter flos olivæ, quia ſuave eſt opus miſericordiæ, quæ more olei fovet & lucet. Aliter flos roſæ, quia candida vita carnis eſt de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ quia magna eſt virtus humilium, qui ex deſiderio ultima loca tenentes ſe per humilitatem à terra in altum non ſublevant, & cœleſtis regni purpuram in mente ſervant. Aliter redolet ſpica, cum ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad ſatietatem eorum, qui juſtitiam eſuriunt, præparatur.* Sic nimirum Eccleſia eſt inſtar agri pleni in diverſis floribus, & fructibus vernantis, cui benedixit Dominus. Nam ſecundum varios ſtatus variaſque ſortes hominum, quæ in ea reperiuntur, varios flores producere cenſetur diverſi odoris. *Chriſti bonus odor ſumus*, dicebat Apoſtolus, Prædicatores Eccleſiæ comparantur viti florenti & fructiferæ, quia vinum cœleſte propinant populo. Virgines, roſæ ſunt candidæ. Humiles, ſunt odorantes violæ, cœleſti vernantes colore. Conjugati, ſunt inſtar olivæ fructiferæ, ſi vacent operibus beneficentiæ & miſericordiæ, & ideo eis olivæ floridum ramum duximus in Xenium præſentandum. Sed & hoc ſymbolo eos meminiſſe volumus, quod curam prolium ſuarum attente debeant gerere, ut ſint ipſi *ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ ſuæ*, ab ipſis & à Deo benedictionem accipientes. Erudiri utique debent, & tanquam novellæ plantationes rigari, flecti, duci, ut floreant & fructificent in operibus pietatis & timore Dei, ut de illis poſſit dici, quod de Chriſto: *Puer autem proficiebat ſapientia, ætate, & gratia, coram Deo & hominibus*, Luc. 2.

*Heb. 13.*

*Pſ. 127.*

*4. Liliū cum roſa adoleſcē-tum ſtrena.*

Quartò his qui necdum in conjugio agunt, ſive adoleſcentuli ſunt ſive adoleſcentulæ, offero de horto Nazareni in Xenium *Lilium cum Roſa*. Lilium quidem candidum, tamquam ſymbolum puritatis & pudicitiæ, ut meminerint illam ante conjugium ſervare illibatam. Nam licet in ætate iſta lubrica agant inter varias cupiditates, & illecebras, tanquam lilia inter ſpinas, tamen ſi ſibi advigilare voluerint, & cœleſte requirere auxilium, poſſunt his omnibus obſiſtere, nec lædi. In omni igitur tentatione recurrant ad illum, qui de ſe dicit: *Ego flos campi & lilium convallium*. Cant. 2. Ad ejus Matrem & Sponſam, recurrant, de qua dicit ipſe: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Horum protectione & auxilio quis non erit tutus, & ab omni læſione immunis? Lilium itaque ſemper ſymbolum fuit caſtitatis, ita ut dixerint antiqui, quod inimicitiam & odium perpetuum cum lilio Venus habuerit, eo quod candore & puritate ſua pulchritudinem Veneris ſuperaret, & ejus quodammodo impudicitiam muto eloquio condemnaret. Optime igitur hoc ſymbolum proponimus his qui in flore ſunt ætatis, ut ſi Deo placere velint, noverint ſe inſtar lilii debere converſari cum cordis & corporis caſtimonia; quia ipſe paſcitur inter lilia, amat caſtas cogitationes, & puras affectiones. Et ſicut radix lilii cordis habet ſimilitudinem, ſurſumque aſcendens germinat & floret: ſic adoleſcentibus convenit cor eſſe rectum, & ſurſum tendere, ſurſum aperiri inſtar cordis lilii, ſive radicis ejus. Iterum; *Lilium non in montibus ſed in vallibus naſcitur, quia ſuperbis Deus reſiſtens, in humilium cordibus invenitur*, inquit B. Damianus. Porro cum Lilio obtuli & Roſam in Xenium, quia illa ob rubicundum ſuum colorem pudoris aptiſſimum eſt ſymbolum. Sic ergo meminerint cum Lilio Roſam conſiderantes, in omnibus modeſtiam & verecundiam cum caſtitate exhibere. Nempe verecundia eſt quaſi facies & ſpecies cæterarum virtutum, & primum adoleſcentiæ decoramentum. Quaſi auroraquædam, omnium actionum colorat principia & virtutes reliquas virgineo venuſtat pudore. Audi Sanctum Bernardum ſerm. 87. in Cant. *Quid amabilius verecundo adoleſcente? Quam pulchra & quam ſplendida eſt gemma, morum verecundia in vita & vultu adoleſcentis? Quam vera & minimè dubia bonæ ſpei nuntia? Bona indolis index eſt virga diſciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ. Specialis eſt gloria conſcientiæ, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus & inſigne totius honeſti.*

*Lilium ſymbolum caſtitatis.*

*Serm. de Nat. B. M. V.*

*Roſa pudoris.*

Quinto his qui in ſorte paupertatis ſunt vel tribulationis alicujus, de horto Nazareni, cui benedixit Dominus, offero in Xenium, & Strenam, faſciculum Myrrhæ, cum florido ramo Palmæ. Nempè Myrrha ſymbolum eſt congruum, quod oculis mētis contemplentur non ſine fructu. Habet enim illa amaritudinem, habet & nihilominus odorem ſuavem, & medicinalem rorem, quam diſtillare ſe gloriantur manibus ſuis Sponſa & Sponſus in canticis. Sic paupertas & afflictio amara eſt; attamen à Chriſto diligitur, hominibus medicinalis eſt, Deo odorifera, ſi cum virtute patientiæ ſit conjuncta. Illa merita meritis cumulat, & relictis theſauris terrenis cœlum emit; nihil ergo ipſa ditius: quod dives ſua poſſeſſione non poteſt, pauper ſua emit vilitate & afflictione. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis repromiſſionem. Ne indignemini fratres, ſi in mundo mali florent, & vos adverſa patimini: quia non eſt Chriſtianæ religionis in temporalibus exaltari, ſed potius deprimi. Mali enim nihil habent in cœlo, & vos nihil debetis habere in terra; ſed ſpe illius boni ad quod tenditis, quicquid in via contingit, gaudere debetis.* Propterea igitur his qui in afflictione ſunt, palmam vernantem cum myrrha amara offerimus: quia palma quanto magis premitur, tanto magis in altum erigitur, ſemperque viret, quocumque nubilo hyemali non obſtante, ac diminutione eorum quæ deorſum

*Faſciculus myrrha cum ramo palmi ſtrena pauperū & afflictorum.*

*Myrrha amara eſt ſed odorifera.*

*Paupertati aptatur.*

*Heb. 10.*

*Auguſt. ſer. de patient.*

ſunt

ſunt foliorum, procera cœlum verſus dulcibus eſt fœcunda fructibus. Sic patientiæ virtutem aptiſſimè deſignat, paupertati vel afflictioni conjunctam, quæ aſpera eſt in cortice inſtar Palmæ, at ſuavis in fructu, quæ animum verſus cœlum extollit, & quo magis tribulatio premit, eo animos magis erigit, nec quacumque aſperitate adveniente, ipſa marceſcit. Dicat ergo pauper & afflictus cum ſponſo *Manus meæ diſtillaverunt myrrham.* Cant. 5. Dicat cum Job patiente: *In nidulo meo moriar, quaſi Palma multiplicabo dies meos.* Job. 29.

*Magnatum ſtrena flos dictus Corona Imperialis, cum viola. Corona Imperialis ſymbolum dignitatis.*

Sexto his qui in ſublimitate ſunt honoris, de Horto Nazareni, cui benedixit Dominus, in Strenam & Xenium offero florem illum qui inter flores Coronæ nomen obtinet, & *Corona imperialis* nuncupatur; ſed cum hac Corona ſimul jungo & offero Violam. Corona illa florida & circumornata monebit eos dignitatis ſuæ, per quam aliis præſunt, & eis imperant; monebit & ſapientiæ, quam debent poſſidere, ut digne poſſint regere, quæ inſtar coronæ glorioſæ, & gratioſæ, ornat, exaltat, protegit. Magnates aliis imperantes. Ideo dicebat Salomon illis. *Poſſide ſapientiam, & exaltabit te, glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.* Proverb. 4. Monebit quoque corona illa Coronæ immarceſſibilis gloriæ in hac vita acquirendæ per præclara virtutis facinora, in altera à Rege Regum vertici ſuo imponendæ, ſi juſtè rexerint, ſi cæteros virtutum exemplo præceſſerint. Hæc eſt *Corona decoris, & diadema ſpeciei,* quod ſubſequitur coronam ſapientiæ, coronam virtutis & gratiarum, ex Donis Dei contextam. Junxi porro coronæ illi ſublimi dignitatem Magnatum deſignanti violam odoriferam, ut cum memores ſunt dignitatis propter coronam, memores etiam ſint humilitatis propter violam.

*Viola ſymbolũ humilitatis.*

Illa enim, ut ſupra etiam inſinuatum eſt ex S. Gregorio, cum inter minimos flores computetur, præclarum eſt ſymbolum humilitatis. Eſt interim odoris ſuaviſſimi & cœleſtis coloris, per id ſignificans, quod humilitas licet humi repere videatur, reddere ſoleat tamen homines cœleſtes, & in omni ſtatu etiam eminentiſſimo eſſe illius præcipuum ornamentum. Quia humilitas in honore honor eſt ipſius honoris; & humilitas ſine honore ipſa ſibi ſufficit ad honorem. Quapropter monebat Eccleſiaſticus eos qui aliis præſunt, hanc humilitatis violam cordi habere, tanquam quæ illis maximo foret ornamento, quæque coronam gloriæ ipſis eſſet paritura.

*Eccle. 32.*

*Rectorem,* inquit, *te poſuerunt? Noli extolli. Eſto in illis quaſi unus in ipſis; curam illorum habe, & ſic conſide, & omni cura tua explicita recumbe: Vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem conſequaris corrogationis.* An non hic commendatur humilitas? An non hæc ornamento eſt Rectoribus plebium? An non odorem & gloriam certam parit? E contra ſuperbia, in his qui regunt, fœtorem, & dedecus, odiumque ingenerat. Advertant hæc Magnates & Nobiles, & quicumque in honoris gradu gloriantur; ſicque violam humilitatis non negligant confœderare coronæ ſuæ dignitatis; alioqui audiant illud Propheticum: *Væ coronæ ſuperbiæ, & flori decidenti, & gloriæ exultationis ejus.* Iſai. 28.

*Concluſio.*

Itaque, ut concludam, hi ſunt flores varii, quos hyberno tempore in agro cui benedixit Dominus, in horto Nazareni noſtri collegi, ut unuſquiſque juxta ſtatum & conditionem ſuam aliquem ex illis ſibi congruum pectori poſſit appendere, & ſuavitatis odorem ex illis odorari. Suaviſſimi enim ſunt, & maximè odoriferi, potentes depellere odoris ſui fragrantia vitiorum immunditiam, dum unumquemque muneris ſui commonefaciunt & virtutis cœleſtem odorem ſpargunt. Potentes ſunt, cum à Nazareni ſive ſponſi floridi & coronati horto prodeant, nos in illius amorem accendere, nos floridos & coronatos efficere, non minus quam flores B. Dorotheæ Theophilum, flores Cæciliæ Valerianum & Tiburtium, flores ſancti Juliani Baſiliſſam odore & amore cœleſti repleverunt. Rogemus ergo ſponſum dilectiſſimum, qui adeo frequenter nos ad Hortum ſuum invitat, ut in illo poſſimus virtutum omnium flores ejus favore & ope colligere, lilium caſtitatis, roſam charitatis, violam humilitatis, hyacinthum cœleſtis converſationis, olivam beneficentiæ, myrrham pœnitentiæ, palmam pœnitentiæ, laurum perſeverantiæ, ut ex illis omnibus poſſimus contexere coronam ſpei & gratiæ in hac vita, coronam vero immarceſſibilem gloriæ in altera: & cum hac corona tandem introducat nos ille ſponſus, ille dilectus, ille Nazarenus, ad thalamum & lectulum floridum æternæ beatitatis.

## IN CIRCUMCISIONE DOM.

*LECT. II. De Feſto Nominis Ieſu.*

*Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!* Pſal. 8.

PRævidens David ſpiritu & lumine Prophetico divinæ incarnationis myſterium, nomenque Jeſu Chriſti, ejus quoque aſcenſionem & triumphum, tandemque gloriam nominis ejus totum per orbem propagatam, exclamat in ſpiritu: *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra, &c.* Singula vero hujus ſententiæ verba energiam & myſterium continent; quapropter ea ponderabimus, & huic nomini Jeſus ſacratiſſimo & glorioſiſſimo apprimè convenire declarabimus. Et quidem quia de hoc nomine fusè tractavimus in Horto noſtro Paſtorali, ideo pauca hic adjiciemus, pauca etiam repetemus, & huic Themati appropriabimus.

Sic igitur exorditur Propheta: *Domine Dominus noſter.* Ubi advertendum, quod nomen, *Dominus,* tam convenit Patri, & Spiritui ſancto, quam Filio. Convenit enim tribus Perſonis divinis, reſpectu omnium creaturarum, & maximè reſpectu homi-

nis; quia ut obſervat Tertullianus l. contra Hermogenem, *in Scriptura ſacra initio Geneſeos non fuit Deus vocatus Dominus, niſi cum hominem creaſſet, tunc enim primo legitur: Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ &c.* Geneſ.1. Interim licet toti Trinitati iſtud nomen, Dominus, conveniat, tamen ſpecialiter Filio convenit ſecundum divinam & humanam naturam; unde bis hic Dominus nominatur, dum dicitur, *Domine Dominus noſter*; propter ſcilicet utramque naturam. Quocirca quidam obſervant, quod vox illa prior, *Domine*, aliter ſcribatur in Hebræo, quam ſecunda *Dominus*: ita ut in Hebræo, ſit nomen tetragrammaton ſoli Deo competens, nec Chriſto ut homini conveniens. Secundo autem loco repetita vox *Dominus*, ſic ſcribitur ut etiam conveniat Regibus & Principibus, ſpecialiterque Chriſto ſecundum humanam naturam. Idem obſervant in illo verſu Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis &c.* Bis igitur Chriſtus Dominus eſt, ratione binæ naturæ; nos quoque bis ſervi ſumus; unde convenit nos ei repetere cum Davide; *O Domine ego ſervus tuus, ego ſervus tuus.* Pſal. 115. Et ſpecialiſſimè Dominus noſter eſt, propter aſſumptam humanam naturam noſtram, per quam Nobiſcum Deus eſt, & noſter Deus in carne, & in finem uſque ſæculi. Noſter Deus & Dominus, per Euchariſtiam: imò per totam æternitatem noſter Deus & Dominus particulari titulo, quia beati erimus non ſolum viſione & fruitione divinitatis, ſed etiam humanitatis ejus. Et manifeſtum eſt, quod ſpeciali titulo Dominus noſter eſt, quandoquidem emerit nos ſibi ſervos ſanguinis ſui pretio, & dominum noſtri acquirere voluerit crucis & mortis ſuæ merito, de hoſtibus iniquis qui poſſidebant nos per tyrannidem redimens & eripiens nos. Forſitan ideo hic Pſalmus incipiens, *Domine, Dominus noſter*, inſcribitur apud ſanctum Hieronymum, *Victori pro torcularibus*. Quia nimirum Chriſtus Filius Dei, ut fieret ſpecialis Dominus noſter, venit in hunc mundum, & in crucis torculari calcari voluit, ut pretium redemptionis noſtræ exprimeret, ſanguinem illum quo aſperſit veſtem humanitatis ſuæ. Nec ibi tam victus fuit quam victor, nec tam calcatus quam calcans, quia peccatum, dæmonem, infernum, & omnes hoſtes noſtros ibidem calcavit, & victoriam reportans nos ſibi acquiſivit; ita ut nomen nobis glorioſum ſit, *Populus acquiſitionis*. Ideo & in Baptiſmo ſanguine ejus aſperſi & abluti ejus dominium profitemur, noſtramque ſervitutem, dum ad januam templi in aures noſtras baptiſantis digiti immittuntur, in ſignum quod apertæ eſſe debeant ad omne mandatum Domini noſtri, & promptæ ad obedientiam: ſicut olim ad oſtium domus ſubula perforabatur auris ſervo, ad perpetuæ ſervitutis indicium. Idcirco etiam ſæpe jubemur repetere; *Credo in Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*, ut ſimus memores ſervitutis noſtræ.

Secundo, videamus quod ſit illud Nomen de quo dicimus ei; *Quam admirabile eſt nomen tuum!* Et quidem frequenter ſacris in litteris per nomen Dei non aliud intelligitur, quam divinæ ipſæ perfectiones, majeſtas, potentia, ſapientia, bonitas: ſic nomen ejus ſanctificari dicitur, dum hæ ejus perfectiones ubique celebrantur, & ſanctitas ejus prædicatur; & nomen ejus admirabile glorioſum, juſtum, omnipotens dicitur, quia Deus eſt admirabilis, juſtus glorioſus, omnipotens, & ut talis à nobis colitur & celebratur. Attamen cum hic Pſalmus de Meſſiæ & Chriſti gloria agat, rectè per nomen ejus, nomen JESUS ei in Circumciſione inditum accipimus. Filium ergo Dei in humana natura alloquentes dicimus; Admirabile eſt hoc nomen tuum, nomen JESUS, multis titulis ſpecialiter tuum.

*Nomen Ieſus Chriſto ſpecialiter convenit.*

*1. Quia illi proprium.*

Primo, hoc nomen ſpecialiter illius eſt, quia illi proprium eſt, ad hanc divinam perſonam in hac natura humana ſignificandam impoſitum. Non enim eſt nomen commune & appellativum, aut metaphoricum, ſicut alia ipſi accommodata. Nomen, Chriſtus, commune etiam eſt Regibus & Sacerdotibus, propter unctionem: Nomina alia, Paſtor, Agnus, Leo, Petra, Oſtium, Via, translatitia ſunt & accommodata, aliquam in illo proprietatem deſignantia. At nomen JESUS nomen proprium eſt, & ita illi propriè convenit, ut licet forſitan ſecundum ſonum & ſyllabas materiales aliquibus impoſitum fuerit, non tamen niſi quia figuram illius gerebant. Et nulli alteri competit hoc nomen ſecundum perfectam ſuam ſignificationem, vim & efficaciam: quia ipſi ſoli competit ratio nominis indicata per Angelum: *Vocabis nomen ejus* JESUM, *ipſe enim ſalvum faciet populum à peccatis eorum* Matth.1.1. Ipſe ſolus auctor eſt ſalutis ſpiritualis æternæ, univerſalis; & ideo perfecta hujus nominis ſignificatio ipſi ſoli competit.

*2. Quia à Patre impoſitum.*

Secundo, dicimus illius eſſe nomen; quia à Patre æterno ipſi ſpecialiter impoſitum; nec ulla creatura in cœlo, aut terra, aut ſub terram, digna erat illud imponere; non Angelus, non Joſeph, non Maria. Hi ſi nomen illud pronunciarunt, vel in Circumciſione, vel antea non à ſe illud nominarunt, ſed à Deo Patre acceptum, qui nomen hoc præfinivit ſolus, cognoſcens perfectè nominis hujus dignitatem, ſolus habens jus proprium & auctoritatem ad imponendum nomen, quia ſolus habens jus & auctoritatem in illum cui imponebatur. Quod ſi magnum fuit Abrahæ, à Deo nomen ſuum mutari; magnumque quod Jacob Iſrael ab Angelo eſt nuncupatus, ob heroicam luctam; magnum quoque quod Simon vocatus fuerit Petrus, ob fidei firmitatem: quanto majus eſt quod ipſi à Patre perfectè dignitatem ejus agnoſcente nomen ſuper omne nomen ſit impoſitum, & ejus juſſu per Angelum Mariæ & Joſepho inſinuatum?

*3. Quia illud acquiſivit ſanguine & morte ſua.*

Tertio, Nomen JESUS, Nomen illius ſpeciali titulo eſt, quia ab ipſo acquiſitum, non enim gratis impoſitum eſt à Patre, ſed ob præviſa merita ſua. Ab illo morte & ſanguine tamquam caro pretio emptum

emptum eſt. Tuum ergo, & verè tuum, & merito tuum. Unde nec voluit illo nomine inſigniri, niſi cum jam ſanguinem inciperet fundere in circumciſione: ut ſic jam inciperet mereri, officium inchoans Salvatoris, per aquam & ſanguinem in hunc mundum introeundo; poſtmodum iterum per aquam & ſanguinem ex hoc mundo exeundo, quia ſine ſanguine non fit redemptio, aut ſalvatio. Jam nomen iſtud in carne ipſius exarat recenti charactere ſtylus & culter circumciſionis; ſed ultimos illi, perfectoſque colores addet in cruce, per acumen clavorum & lanceæ, & per ſanguinem lateris, ô Domine Dominus noſter, quam caro tibi ſtat pretio hoc nomen, quod toto perfuſo ſanguine acquirere voluiſti! Non ergo caſu, aut fortuitò, aut gratis nomen illud tibi obtigit, ſed toto rigore juſtitiæ. Tuum eſt ſic proelio in tabula crucis pretio promptè perſoluto.

*4. Hoc nomine Chriſtus ſpecialiter gloriatur.*

Quarto, Nomen Iesus, ipſius eſſe ſpecialiter ex eo etiam dicimus, quod ſpecialiter in illo glorietur. Nomina quæ à parentibus dantur, vel ex origine alicui competunt, non ita æſtimantur, nec ita in titulum gloriæ cedunt, ſicut illa quæ actu aliquo heroico acquiſita ſunt, & gloriosè parta. In hoc autem nomine, tamquam glorioſo victoriæ titulo & omine, ita gloriari voluit, ut capiti ſuo affigi illud voluerit & trophæo crucis. Et quamvis Iudæi conati fuerint illud delere hoc obſervantes apud Præſidem; tamen ſpeciali providentia factum eſt, ut id non impetrarint, quia hunc gloriæ titulum, Iesus Nazarenus, triumphali columnæ indelebiliter affixum, voluit ab omnibus Nationibus agnoſci. De qua re Prophetiam præceſſiſſe agnoſcit S. Aug. in titulo Pſalm. 57. ubi habetur. *In tituli inſcriptione ne diſperdas.* Quod de titulo crucis intelligit; quaſi præviderit David Iudæos illum honoris titulum conaturos diſperdere, ſed fruſtra, & ideo Pſalmum ſuum ſic inſcripſerit. Neque verò ſolum illo gloriari voluit in cruce, ſed & gloriabitur totâ æternitate. Eſt enim nomen hoc, nomen æternum, in quo ſecum electos ſuos vult gloriari. Et nonnulli exiſtimant in capite ejus inſcriptum fore in die judicii & tota æternitate, Iesus Nazarenus. Sicut enim in manibus & pedibus reſervat cicatrices in cœlo, ſic putant & in fronte nomen iſtud inſcriptum retinere in ſymbolum amoris pro electis, in ſymbolum confuſionis pro reprobis. Cùm hoc ſymbolo apparuit quondam B. Egmundo adhuc puero, & dixit ei: *Hoc nomen erit decus & memoriale tuum in æternum.* Sic legitur in ejus vita apud Surium.

*Cur nomen Ieſus admirabile. Iſai, 9.*

Declaremus nunc ulteriùs, cur nomen iſtud dicatur *Admirabile.* Ad id intelligendum meminiſſe decet inter cætera pueri nati, & nobis dati nomina illud recenſeri, Admirabilis: *Vocabitur,* inquit, *nomen ejus Admirabilis.* Nempe cum Chriſtus fuerit Deus & homo, quod antea fuit inauditum, humilis & ſublimis, parvulus & immenſus, mortalis & immortalis, omnia iſta in hoc nomine comprehenduntur. Unde & Angelus Chriſti perſonam repræſentans dum apparuit Joſue inquirenti nomen ejus, reſpondit: *Quid quæris nomen meum, quod eſt Admirabile?* Jud. 13. Utique; ſicut admirabilis fuit Chriſtus in omnibus in conceptione de virgine, in Nativitate ſine Matris dolore, in vita ſine peccato, in miraculis, in Transfiguratione, in Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione; ita abſq; dubio admirabilis fuit in nomine ſibi impoſito à Patre, cujus virtute tam mirabilia debebant patrari; cum ab ipſo, tum ab Apoſtolis & ſucceſſoribus eorum in finem uſq; ſæculi. Deinde admirabile eſt nomen ejus, quod eſt ſuper omne nomen; in quo ſolo oportet nos ſalvos fieri; nec enim aliud datum eſt nomen ſub cœlo. Dicitur autem nomen Jesus eſſe ſuper omne nomen tuum quia excellit omne nomen, ſive Angelorum, ſive hominum; tum quia complectitur in ſe omnia alia nomina ei adſcripta, qualia ſunt. *Verbum Dei, Filius Patris, Sapientia æterna,* & ſimilia quæ ſecundum divinitatem ei competunt; ſive etiam ea quæ ſecundum humanitatem ipſi conveniunt, *Magni conſilii Angelus, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis,* & ſimilia. Denique hoc eſt primum nomen in libro prædeſtinationis divinæ, in libro vitæ, poſt quod ſequuntur nomina aliorum electorum, quia in ipſo & per ipſum electi ſunt. Poteſt ergo meritò dicere: *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Pſal. 39. Admirabile ergo eſt nomen ejus in cœlis, imo & ejus magnificentia elevata eſt ſuper Cœlos, & in nomine Jesu omne genu flectitur etiam cœleſtium.

*Cur admirabile in univerſa terra.*

Admirabile quoq; eſt in univerſa terra, quia cum humiliaverit ſe Chriſtus uſq; ad mortem, exaltavit illum Pater, exaltavitq; nomen ejus: ut jam non amplius ut olim dicatur; *Notus in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen ejus:* ſed etiam canitur: *A Solis ortu uſq; ad occaſum laudabile nomen Domini* Pſ. 75. Et iterum: *Cantate Domino omnis terra, & benedicite nomini ejus, annunciate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus,* Pſ. 95. inquit David. Idem glorificare volens nomen Domini, poſtquam ad laudem invocaſſet cœlum cum Angelis; firmamentum cum ſole, luna & ſtellis; deinde aërem cum nive, grandine, ventis, & volucribus, ulteriuſq; mõtes & colles cũ arboribus, & univerſis germinibus, cum animalibus, ſerpentibus, draconibus, abyſſoq; cum aquis: tandem ad rationales animas vocẽ convertens, omnis conditionis, ætatis, & ſexus ad laudem invitat, & concludit: *Reges terræ, & omnes populi, Principes & omnes iudices terræ, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius* Pſal. 148. Exaltatum eſt admirabiliter in cœlis, à Deo ab Angelis: exaltatur & in terra ab hominibus cujuſcumque ſtatus. Illi Pontifices ſuas tiaras & infulas, illi Reges ſua ſceptra, illi Principes ſua diademata, illi nobiles ſuam purpuram & ſtemmata, adorantes ſubſternunt, illius laudes decantant chori ſacerdotum & virginum, Monachorum & Monialium, & Religioſorum omnis ætatis & ſexus, ex parte cœleſtium, ter-

terreſtrium, & infernorum illi humillimè genu flectentes in officiis quotidianis.

S. Gertrudis virgo pientiſſima, cùm feria quarta poſt Dominicam Palmarum inchoaretur Miſſa; *In nomine* Jesu *omne genu flectatur*, ipſa ex intimo affectu cordis in honorem nominis ipſius digniſſimi genua flectebat, ad ſuppletionem omnium in quibus ipſa unquam neglexerat Dominum debita reverentia honorare. Quod cùm ſenſiſſet Dominum benignè acceptare, fixit ſecundò genua in illo verbo, *Cœleſtium*, pro ſuppletione omnium quæ ſancti jam in Cœlo Domino conregnantes unquam neglexerunt in laude Dei. Viditque omnes ſanctos quaſi exurgentes cum maxima gratitudine in laudem Domini, quod hanc gratiam Gertrudi contuliſſet, & orabant pro ea. Tertiò in verbo illo, *Terreſtrium*, iterum flexit genua pro ſuppletione omnium quæ univerſalis Eccleſia neglexit & negligit in laude divina. Tunc Filius Dei benignâ hilaritate reddidit ei fructum totius devotionis, quæ ſibi ab univerſa Eccleſia offerebatur. Quartò in verbo illo, *Infernorum*, ſimiliter genua flexit pro ſuppletione omnium quæ neglexerunt qui ſunt in inferno damnati. Tunc Filius Dei exurgens & ſtans coram Patre, ait: Hoc meum eſt, quia cum Pater omne judicium mihi dederit, ego juſto judicio cruciatibus eos deputavi æternis. Ideoque hanc ſuppletionem tantopere gratam habeo ab illa, quod remunerationem humanus non capit intellectus, ſed in futurum ei reſervatur, donec capax æternæ beatitudinis efficiatur. Hæc l. 4. Inſinuat pietatis c. 24.

*Quaterna ſancta Gertrudis genuflexio.*

*Concluſio.*

Concludamus, & dicamus non ſolum in cœlo & in terra, ſed & inferno admirabile eſſe nomen iſtud & terribile. Nam de illo verum eſt, quod in oratione Manaſſis dicitur: *Concluſiſti abyſſum, & ſignaſti eam nomine tuo laudabili & terribili.* Nempe nomen iſtud admirabiliter terret ſpiritus tenebrarum, & nomine illo velut clave Davidica, & velut ſigillo indelebili, portas inferi obſerat, ne ſpiritus illi nequam pro libitu erumpant in damna hominum. Unde ipſi dicunt: *Quid nobis & tibi* Jesu *Fili Dei? Veniſti ante tempus torquere nos.* Matt. 8. Et rogabant ne imperaret illis, ut in abyſſum irent. Luc. 8 Nempe adventus Salvatoris qui eos religare debebat & relegare ad infernum, multum eos torquebat; tormẽtumque vocant, quod non permittantur libere in perniciem hominum erumpere, eos ad malum inſtigare, poſſidere & vexare. Et hanc libertatem videntes ſibi adimi à Jesu, ſeque expelli ab illo è corporibus & mentibus hominum, timebant, relegari in abyſſum, ubi accidentalis eorum pœna augetur; dicuntque hoc eſſe ante tempus eos torquere, quia ante tempus judicii hanc in abyſſum relegationem, & imperii ſui everſionem non expectabant. Sicut ergo tunc Chriſtus præſentia ſua legionem dæmonum hominem Geraſenum poſſidentem valdè torquebat, ita ut rogarent mitti in porcorum gregem coacti exire: ita idem ſuo nomine in finem uſq; ſæculi eos torquebit, expellens virtute nominis ſui per miniſtros ſuos invocati millena millia è corporibus & mentibus hominum, & quos voluerit relegans in abyſſum; ſicque nomine eam concludens & ſignãs, ne ultra ſine ejus permiſſione egrediantur & noceant. Propterea igitur admirabile eſt nomen Dei in univerſa terra, & laudabile ac glorioſum in cœlo, terribile verò & ſumme exoſum in inferno.

## DE EODEM NOMINE JESU.

***Domine nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ.*** Iſa. 62.

NOmina ideo hominibus indi ſolent, ut ſint LECT. 10
memoriale quoddam repræſentativum rei præteritæ, vel etiam prænunciativum & prognoſticum rei futuræ. Sic Moyſes iſtud nomen accepit, ut hoc nomine ſuo memoriam circumferret, quod de aqua extractus fuiſſet in infantia. Repertum enim in flumine infantem ſibi afferri juſſit filia Pharaonis, *& adoptavit illum, vocavitq; nomen ejus Moyſes, dicens: quia de aqua tuli eum.* Exod. 2. Sed etiam erat hoc nomen prognoſticum rei futuræ, & divinâ inſpiratione ei dabatur fauſto omine, quia de aquis afflictionum extracturus erat filios Iſrael, & per aquas maris rubri ſicco pede eos tranſlaturus in terram promiſſam. Sic etiam Jacob hoc nomen accepit, ut memoriam circumferret luctæ, quam in utero cum fratre iniverat, cujus ex utero egredientis plantam tenebat, unde Jacob, id eſt, ſupplantator. Prognoſticum etiam erat futuri, quia in primogenituræ benedictione debebat fratrem prævenire, & quodammodo ſupplantare. Unde de illo dicit Eſau: *Iuſtè vocatum eſt nomen ejus Iacob; ſupplãtavit enim me in altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundò ſurripuit benedictionem meam.* Gen. 27. Sic qui prius Abram vocabatur, Abraham à Domino vocatus eſt, Gen. 17. ut memoriã circumferret promiſſionis divinę, quâ ei pollicitus fuerat Deus, quod Pater foret multarum gentium. Sic & Simon Petrus à Chriſto eſt vocatus, Matth. 16. ut ſemper memor confeſſionis fidei, quam nomini totius Collegii Apoſtolici fecerat, quæ petra & fundamentum eſſe debebat totius Eccleſiæ ædificandæ. Sic denique Chriſto Domino impoſitum eſt nomen Jesus, ut ſibi eſſet memoriale redemptionis & ſalutis totius orbis peragendæ; nobis autem memoriale æternum amoris ejus, & omnium myſteriorum ex illo amore prodeuntium. Videamus id in particulari.

*Nomen* Jesus *eſt memoriale myſteriorũ infantiæ filii Dei.*

Primò igitur nomen Jesus, Memoriale eſt Incarnationis, Nativitatis, Circumciſionis, Oblationis in templo, & aliorum myſteriorum infantiæ Filii Dei. Reducit enim nobis in memoriam omnia iſta myſteria, in quibus lux quædam initialis, & radioli ſalutis & gratiæ ab hoc nomine promicarunt, & pias animas illuſtrarunt & lætificarunt. Quantâ lætitiâ affecit hoc nomen Mariam in die Conceptionis & Incarnationis ejus, dum audit ab Angelo: Luc. 1. *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen ejus* Jesum?

Jesum ? Hujus gaudii etiam paulò poſt particeps factus eſt Joſeph ab eodem Angelo, dicente ei: *Noli timere accipere* Mariam *conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt; Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus* Jesum: *ipſe enim ſalvum faciet populum à peccatis eorum.* Matth. 1. Quodnam poſſet eſſe lætius nuntium? In pronũtiatione hujus Nominis lux orta eſt juſto & rectis corde lætitia, Mariæ ſcil. & Joſepho. Deinde quanta lux, quamq; purum gaudium ex hoc nomine audito Paſtoribus eſt infuſum, dum in die Nativitatis Angelus iterum proclamat: *Evangelizo vobis gaudium magnum, natus eſt vobis hodie Salvator.* Luc. 2. Ulterius in die Circumciſionis, dum nomen ab Angelo vocatum ab æterno Patre impoſitum, puero huic ex mandato Patris cœleſtis impoſitum declaratur, quomodo gaudio perfuſos putas omnes ibidem præſentes? Denique, in oblatione ejus in templo facta, dum Simeon exultat in Deo ſuo, & canit; *Viderũt oculi mei Salutare tuum*, Luc. 8. ſive Jesum tuum; exultarunt & omnes Iuſti qui expectabant redemptionem, & conſolationem Iſrael, potueruntq; dicere cum Propheta: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* Abac. 3. Itaque omnia infantiæ myſteria, in quibus Nomen Ieſu, Nomen *Salvatoris*, vel *Salutaris* inſonuit, plena fuere lætitiâ. Et hæc omnia nobis rememorat Nomen Ieſu piè pronunciatum deſideria. Iuſtorum nobis iterum ob oculos proponens; ideoque meritò de illo nobis Propheta dicit: *Domine, nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ; Anima mea deſideravit te in nocte, ſed & manè depræcordiis meis vigilabo ad te* Iſai. 26.

*Nomen Ieſus eſt memoriale omnium mirabilium vitæ ipſius.*

Secundò, Memoriale eſt totius vitæ ejus, & omnium mirabilium quæ in vita egit; omnia enim illa virtute nominis ſui peregit, quandoquidem miſſio & commiſſio Patris in hoc nomine continebatur; nec erat aliud Nomen in quo oportebat ſalutem dari, dæmonia ejici, ſanitati ægros reſtitui, mortuos ſuſcitari, peccatores converti. Unde poteſtatẽ quã à Patre habuit, Apoſtolis & credentibus communicans, & Nomini ſuo eam infallibiliter annexam inſinuãs, dicit: *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferũ quid biberint non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Marc. 16. Propterea Petrus cum claudum ſanaret ad ſpecioſam portam Templi, ait: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Et poſtmodum Iudæis mirantibus, ait: *Viri Iſraelitæ quid admiramini quaſi noſtra virtute aut poteſtate hunc fecerimus ambulare. Deus Patrum noſtrorum glorificavit filium ſuum Ieſum, & in fide Nominis ejus, hunc quem videtis & noſtis, confirmavit nomen ejus.* Act. 3. Id eſt per fidem quam habemus nomini ejus, hunc claudum conſolidavit, & ſanavit nomen ejus. Sed & virtute Nominis Ieſu facta eſt Pauli cõverſio, & per illum totius orbis. Unde apparens ei Dominus, dicit: *Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris;* quibus verbis mirè ejus animum commovit. Et poſtea de illo Ananiam Chriſtus alloquens, ſubdit: *Vas electionis eſt mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus &c.* Act. 9. Nomen ergo iſtud Regibus & populis inſinuatum à Paulo, animos eorum convertit & manſueſecit. Itaq; hoc Nomen Jeſus, Memoriale eſt omnium prodigiorum, tum ab ipſo Jeſu dum in terris converſatus eſt, patratorũ, tum eorum quæ Apoſtoli virtute Nominis illius patrarunt. Si enim virtute Nominis Dei Virgæ Moyſis inſcripti tot in Ægypto mira edita ſunt; multò plura à Chriſto & Apoſtolis virtute ſacratiſſimi Nominis Jeſu edita Orbis agnoſcit: Et Nomen hoc quoties illud repetimus, Chriſti vitam ejuſque miracula nobis repræſentat, tamquam Memoriale ſacrum, quod Jeſus fons ſit ſalutis, cujus manus & membra, halitus & loquela, lachrymæ & ſaliva, veſtis & fimbria ſalutem pariebant; ita ut in omnibus ejus membris ſcriptum hoc legere quilibet poſſit, Jesus & Salvator, ſive ut Propheta loquitur, Deus Salutis meæ.

*Nomen Ieſus eſt memoriale mortis & Paſſionis ejus.*

Tertiò, Memoriale eſt Mortis & Paſſionis ejus, quia per illã hoc Nomen meruit, humilians ſemetipſum uſque ad mortem, mortem autem crucis: ita ut propterea in cruce Nomen iſtud tamquã memoriale inſcribi voluerit capiti ſuo. Et ſicut olim ſummus Sacerdos offerens ſacrificium Thiara caput tegebat, ex qua Nomen Dei Tetragrammaton & ineffabile dependebat; aureæ inciſum laminæ, fronti ejus imminens. Ita Chriſtus Dominus Sanguinis ſui purpura, quaſi Pontificali veſte, indutus, dum ſacrificium offert in cruce, Coronâ ſpineâ quaſi Thiarâ caput tegit, & ſupra illam apponi voluit nomẽ gloriæ ſuæ, Jesus Nazarenus, ut impleretur illud per Spiritum S. non ſolum de Pontifice antiquo, ſed & de ipſo prædictum: *Magnificentia in diademate capitis ejus.* Sap. 18. Et ſic nomen illud magnificũ memoriale eſt æternum, non ſolum paſſionis, ſed & gloriæ ejus quam per crucem & paſſionem acquiſivit. Etenim quia humiliavit ſe uſque ad mortem. *Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris* Philip. 2. Ideo in cruce nomen iſtud ſcriptum legitur, Hebraicè, Græcè & Latinè; à quibus tribus linguis omnes aliæ originem ducunt, & ad aliquam illarum omnes referuntur.

Itaque dum dicit Propheta: *Domine nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ*, videtur velle dicere, Domine ſummopere exopto ut nomen tuũ animæ meæ omnibuſque piis animis inſculpatur, tamquam Memoriale ſacrum Incarnationis tuæ & Nativitatis, tamquam Memoriale Circumciſionis & pro nobis fuſi Sanguinis, tamquam Memoriale Vitæ admirabilis in prodigiis, tamquam Memoriale Crucis tuæ & Mortis, tamquam Memoriale Gloriæ tuæ & Exaltationis.

*Eſt memoriale excitativum fidei.*

Quarto & poſtremò dicamus Nomen Jeſu eſſe Memoriale excitativum in nobis fidei, ſpei & charitatis. 1. Fidei, quia dum illud audimus, excitatur in

nobis viva fides, quia credimus Filium Dei verum eſſe hominem à Patre miſſum, à Spiritu S. unctum, gratiæ & ſalutis noſtræ actorem Ideo dicebat Apoſtolus: *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* 1. Cor. 12. Quia ex vera fide nemo poteſt id pronunciare, ita ut proſit ei ad ſalutem hæc invocatio, niſi Spiritu S. impellente. Et contra dicit S. Joannes: *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt.* 1. Joan. 4. Nempe JESUS cenſetur quid compoſitum & colligatum ex Deitate & Humanitate, per vinculum unionis hypoſtaticæ, qui ergo hoc compoſitum ſolvit, negans vel eſſe Deum, vel Hominē, hic ex Deo non eſt: qui autē viva fide agnoſcit Ieſum, utcumque agnoſcit in eo, & cenſetur ex Deo natus, at dicit ibidem Ioannes. 2. Nomen Ieſus excitativum eſt ſpei, quia hoc Nomen in quo eſt nobis ſalus. Unde rectè de Ieſu dicimus: *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum.* Pſ. 9. Et iterum: *Beatus vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus.* Pſ. 39. Deniq; & illud unuſquiſq; cum veritate pronunciarit: *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum, propter nomen tuum deduces me, & enutries me.* Pſ. 30. Et quia hoc

*Nomen Ieſus oleo comparatur.*

fovet ſpem noſtram, ideo oleo comparatur: *Oleum enim lucet, paſcit, ungit, lux, cibus, medicina,* inquit S. Bernardus; ſic & hoc Nomen lucet prædicatum, paſcit recogitatum, lenit & ungit. Quis ergo Nomen iſtud piè pronuncians non ſperet? Quis non ad Nomen vitæ reſpiret? Ideo Nomen Ieſus agonizantibus ſolet proponi, quia tunc puſillanimitate, torpore, diffidentiâ ſolet premi cōtra mortis tenebras conflictantes hujus autem Nominis pia invocatio ad caliginem & mentis gravedinem, ad puſillanimitatem & diffidentiam diſſipandam efficax eſt. Et certè quicunque huic Sanctiſſimo Nomini in vita affecti fuere ejus favorem & præſidium experti ſunt, illud pronunciantes in morte.

*Nomis Ieſu in morte invocatio efficax. Bloſius in Monili ſpirit.*

Sic de S. Mechtilde legimus, quod luctans cum extremo morbo, non aliud repeteret & reſonaret, quam hæc verba, mellitiſſimâ affectione; *Ieſu bone, Ieſu bone.* Unde & apparuit ei Dominus Ieſus, & dixit: *Veni benedicta Patris mei, poſſide regnum tibi paratum à conſtitutione mundi.*

Sic & S. Ludovicus Rex, cùm in extremo ſpiritu ageret, ut omnem diffidentiam & puſillanimitatem depelleret, pronunciabat viva ſpe: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi Domine, & confitebor nomini tuo;* Pſ. 137. quibus in verbis expiravit.

Sic & S. Paulus cum capite plexus foret, nihilominus nomen Ieſus reſonabat, cum quo mors ei ſuavis erat. Nam caput à corpore ſeparatum, tres dicitur dediſſe ſaltus, tertio pronunciando nomen Ieſus; unde & tres ibidem fontes eruperunt, qui adhuc Romæ oſtentantur. Sic docebat omnes Chriſtianos in Chriſto Ieſu renatos fonte Baptiſmatis, hoc nomen ſalutis uſque ad extremum ſpiritum ſemper in ore & corde debere gerere, tamquam nomen vitæ & calcar ſpei.

3. Hoc nomen eſt Memoriale excitativum amoris & charitatis. *Oleum effuſum nomen tuum,* Cant. 1. dicebat ſponſo ſponſa, *ideo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* Ergo ab hoc nomine amor & dilectio. Utique nomen eſt rememorans nobis omnia divina beneficia, & ideo amorem in nobis excitat amori divino rependendum, à quo omnis in nos gratia promanat. Triplex nobis memoriale amoris ſui reliquit nobis Pater noſter Chriſtus Dominus; nimirum corpus ſuum, ſanguinem ſuum nomen ſuum amantiſſimum. Hæc in nobis continuò excitare debent & fovere caritatem. Unde congruit unumquemque cum Pſalmiſta Ieſu Domino noſtro toto affectu dicere: *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora nomini ſancto ejus: Benedic anima mea Domino, & noli oblviſci omnes retributiones ejus; Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas: Qui redimit de interitu vitam tuam: Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Pſ. 102. Horum omnium beneficiorum memoriale eſt nomen Ieſus. *Ideo omnibus amantibus divinum nomen iſtud mel eſt in ore, melos in aure, iubilus in corde,* ut dixit S. Bernardus, *& divinitus in quorumdam corde tamquam ſymbolum, & pignus amoris ſcriptum fuiſſe ſacræ tradunt hiſtoriæ.*

Obſecro Domine Ieſu, ut tuum nomen iſtud ſacratiſſimum digneris exarare in animis noſtris, non litteris materialibus, ſed litteris vivis, ut ſit ſignaculum & Memoriale in intellectu noſtro, in voluntate, in corde; Memoriale inquam, excitans fidem firmam, ſpem vivam, charitatem perfectam: Memoriale amoris quem exhibuiſti nobis in incarnatione & nativitate, in circumciſione & oblatione, in vita & morte; ut & nos rependamus amorem, teſtantes illud in deſiderio animæ, deſiderantes te in nocte, ſed & mane totis præcordiis vigilantes ad te; ut numquam nox peccati & mortis nos comprehendat; ſed ambulemus in luce gratiæ, ſalutis, & vitæ. Concluſio.

## DE FESTO EPIPHANIÆ.

LECT. II. tripartita.

*Ecce Magi veniunt ab Oriente Ieroſolymam, &c.* Matth. 2.

PARS I. *Quinam fuerint hi Magi.*

APud Prophetam Aggæum loquens Deus de Adventu Chriſti in carnem, hæc dixit: *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam: & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus.* Agg. 2. Quingentis circiter annis exiſtimatur hæc Prophetia præceſſiſſe Chriſti Incarnationem, & tamen tempus illud, ūnum modicum dicitur, quia Prophetis ad æternitatem Dei elevatis omnia tempora modicum quid ſunt, punctum, momentum. *Filioli noviſſima hora eſt,* inquit S. Ioannes de toto tempore legis novæ. At S Paulus cum LXX. legit: *Adhuc ſemel & ego commovebo cælum & terram.* Heb. 11. Quaſi dicat: Commotio ſemel facta eſt in veteri lege in Sina; adhuc ſemel fiet adveniente illo qui novam feret legem. Commotio itaque facta eſt in cœlo & aëre, in Nativitate Chriſti, Angelis deſcendentibus, & cantantibus

tibus gloriam Deo, & claritate Deum circumfulgente, aëremque & Paſtores illuſtrante. Commotio quoque facta eſt in terra, mari, & gentibus, dum Cæſaris edicto, unuſquiſque in ſuam civitatem proficiſci cogitur, ſive terrâ, ſive mari, in deſcriptione totius Orbis. Iterum commotio facta eſt tunc temporis, ut ſupra inſinuavimus, per varia prodigia in cœlo, ſole, ſalo. Denique an non hodie commotio in cœlo, ſtellâ inſoliti ſplendoris apparente? An non & in terra, & in gentibus commotio, dum magno apparatu ab Oriente Gentiles in dromedariis accurrunt, dum etiam magnam commotionem in aula Herodis, & tota Hieroſolyma ſuſcitant? Unde ſic Evangeliſta: *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ, ecce Magi ab Oriente veniunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Major erit commotio, dum in cruce morietur; & hic titulus ei inſcribitur: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Unde S. Ambroſ. hæc verba Aggæi explicans ait: Moverat ante hæc cælum & terram, de Ægypto liberans populum, quando in cœlo erat columna ignis, terra inter fluctus, murus in mari, via in aqua. Manna de cœlo, petra in fontes aquarum. Movit & poſtea in Paſſione Domini, quando cœlum tenebris obductum, ſol refugit, petræ ſciſſæ, tumuli aperti, Mortui reſuſcitati, Draco victus in fluctibus ſuis vidit piſcatores hominum non ſolùm navigantes in mari, ſed etiam ambulantes ſine periculo. Itaque & in Paſſione & in Nativitate, & in Chriſti per Apoſtolos facta in univerſo Orbe Annunciatione, impletum eſt hoc Aggæi vaticinium. Unde Auguſt. lib. 18. de Civit. cap. 35. Movit cœlum, Angelorum, & ſiderum teſtimonio, quando incarnatus eſt Chriſtus. Movit terram ingenti miraculo de ipſo Virginis partu. Movit mare, & aridam cùm & in inſulis & in Orbe toto Chriſtus annunciatur. Ita moveri omnes gentes videmus ad fidem. Inchoatur ergo hęc commotio gentium hodie ad fidem Chriſti vocatis Magis, dum primò agnoſcitur à Gentilibus, cujus nomen eſt, *Deſideratus cunctis Gentibus.* Hi nempe erant primitiæ gentium, & quantum eum deſiderarint, libet ex arrepto longinquo hoc itinere etiam per media diſcrimina: nec enim erat ſine periculo alium quærere Regem in regia civitate præter eum qui ſceptrum gerebat. Poſtmodum & cunctæ gentes exemplo eorum invitatæ, eum maximo deſiderio ſuſcipient, agnoſcentes quod ſalus ſit, vita, fœlicitaſque univerſorum, & implebitur illud Iſaiæ: *Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Iſa. 42. Et iterum: *Ecce teſtem populis dedi eum, Ducem & Præceptorem gentibus.* Iſai. 55. Hæc ergo hodie incipiunt impleri, dum puer recens natus interiori inſpiratione, exteriorique luce, teſtimonium dat Magis ortus ſui, divinæque bonitatis, eos ad lucem & ſalutem adducere exoptantis; dum & eis interius præcipit, urgetque citò accurrere ad ſe adorandum, Ducem viæ exhibens fallibilem, cœleſte ſignum.

*Thom. 2. ſub fin.*

Sed in particulari paucis explicemus, quinam ſint hi de quibus dicitur: *Ecce Magi*; Unde venerint, & ex qua regione, de quibus dicitur: *Veniant ab Oriente*; Denique quid & qualis ſit illa ſtella, de qua dicunt ipſi: *Vidimus ſtellam ejus.*

Quantum ad primum. Exiſtimant nonnulli ex SS. Patribus, Magiæ fuiſſe deditos, & maleficiis, artibuſque illicitis; nam & conſuetudo & ſermo communis Magorum & Magiæ nomen in malum interpretatur. Hæc fuit ſententia S. Auguſtini ſerm. 2. de Epiph. Item Origenes lib 1. contra Celſum, *qui dicit viſo in cœlo prodigio incantationibus ſuis uſos fuiſſe, ut intelligerent quid ſignificaret; Dæmones autem jam à Chriſto ſuperatos conticuiſſe, indeq; conjectaſſe, puerum per ſtellam deſignatum, potentiorem eſſe dæmoniis, ideoque eum adorare decreviſſe.* Idem ſentit S. Ignatius Martyr, qui de ſtella agens, dicit: *Evanuit mundi ſapientia, præſtigiæ factæ ſunt nugæ, Magia riſus, omnes ritus malitiæ aboliti.* Idem docet S. Juſtinus Martyr. l. cont. Tryphonem: *Magi*, inquit, *quos ſibi dæmon vendicarat ad omnia maleficia, poſtquam venerunt ut adorarent Chriſtum, videntur ab illo defeciſſe, redacti in huius poteſtatem.* Hæc ſententia ſi vera eſt, tanto magis efficacem oſtendit gratiam ad lucem Chriſti, quæ illos cum dæmone commercium habentes, & tenebris ſtygiis obſcuratos, mox ad ſe adducit, ſocietatis ſatanicæ vincula omnia diſrupit, & luci reddidit. Unde hic dicere libet: O puerum imbellem, ſed fortem! O gratiam ſuavem, ſed efficacem! O ſtellam ejus radiantem & potentem! Meritò nomen ejus apud Prophetam vocatur: *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari*; Iſai. 8. quia antequā ſciret vocare Patrem & Matrem, diripit ſpolia ſatanæ, & è faucibus inferi hanc eripit prædam.

1. Opinio *Hos Magos magia deditos fuiſſe.*

*Epiſt. 14 ad Ephe.*

Alii interim ex ſanctis Patribus hos non fuiſſe maleficos & incantatores exiſtimant, ſed Magos dici, eò quod fuerint ſapientes Aſtrologi; ſic quandoque etiam in bonum Magi nomen ſolet accipi; ſicq; vocari ſoliti ſunt Philoſophi & Sapientes Chaldæorum, ut teſtatur S. Hieron. Dan. 2. Unde de his Magis dicit S. Cyprian. *Arte mathematica vim & diſcurſum noverant Planetarum, & elementorum naturã, & aſtrorũ miniſteria certis experimentis obſervabant.* Sed in hoc etiam divinæ gratiæ efficacia ſat eſt manifeſta, quod hi Sapientes mundanam contemnentes ſapientiam, agnoſcant & adorent ſapientiam veram in infantia; & hunc puerum qui lambit ubera, illum eſſe credant qui regit ſidera. Quocirca eleganter S. Auguſtinus dicit ſerm. 1. de Nativit. *Hæc ſunt teſtimonia Nativitatis tuæ, Domine Ieſu, antequam tibi fluctus ſubſternerentur calcanti crederent imperanti; antequam ventus te jubente ſiluiſſet, mortuus te vocante vixiſſet, Sol te moriente palluiſſet, terra te reſurgente tremuiſſet, cœlum te aſcendente patuiſſet; ante iſta & alia mirabilia, adhuc in manibus Matris portaberis, & Dominus Orbis agnoſcebaris.*

*2. Aſtrologos alii dicunt. Anſelm. Beda. Ruper. Serm. de Stella.*

Neque verò fuiſſe ſolum Sapientes Aſtrologos, ſed & Reges, communis eſt traditio, licet Scriptura id non exprimat, nec ita certò & indubitanter ex ſanctis Patribus conſtet; quia ordinariè Magorum nomi-

*3. Eos etiam Reges fuiſſe communis opinio.*

nomine eos vocitant, ſicut & Evangelica ſcriptura. Sed communis Eccleſiæ ſenſus & picturæ regio eos nomine & apparatu decorat, nec ſine fundamento. Etenim ut dixit B. Iſidorus de paſſione Domini, cap.15. *Magos Reges ferè habuit Oriens*; Pſal.21. quod ipſum iiſdem verbis dixerat Tertull. lib.3. contra Judæos, cap.9. Immò Cicero libro de divinatione refert, neminem potuiſſe eſſe Regem Perſarum, qui non prius ſcientiam Magicam didiciſſet, quod etiam teſtatur Philo libro de ſpecialibus legibus. Unde & B. Anſelmus eos vocat Reges in cap. 2. Matthæi, & Theophilactus Reges Perſicos eos nominat. Id quoque confirmari poteſt ex officio Eccleſiaſtico, in quo inſinuatur tunc impletum illud: *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent*. Et iterum illud: *Ambulabunt gentes in lumine tuo; & Reges in ſplendore ortus tui*. Stella nempè quæ apparuit ſplendor eſt ortus Chriſti, & lumen eſt illum deſignans, ut Reges illi venirent eum adorantes. Quapropter ſubditur: *Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes*; in quo & horum Regum munera deſignantur. Hunc locum ſic Arnoldus Carnotenſis expreſsè interpretatur de his Regibus: *Reges Arabum & Saba ab oriente egreſſi, ſicuti ſtellam inſoliti luminis, genibus curvatis, & humi purpurâ defluente, Ieſum noſtrum pannoſum adorantes, donis ſacramentalibus venerati ſunt*. Adde, dona oblata indigna haud eſſe Regibus; & quod *apertis theſauris* dicuntur illa obtuliſſe, etiam Regium indicat apparatum. Deniq; non eſt inſolitum in Scriptura, quod Oppidorum Domini Reges vocentur; Gen 14. nam quatuor Reges adverſus quinque dicuntur decertaſſe, & nominantur illi quinque, Rex Sodomorum, Rex Gomorrhæ. Rex Adamæ, Rex Seboim, Rex Balæ quæ eſt Segor; ita ut quinque civitates quinque Reges habuerint. Hoc igitur modo Magiſtri ſapientes & potentes ſæculi fuerunt in Oriente Oppidorum aliquorum Reges & Domini.

**Pars II.** *A qua regione venerint Magi.*

QUantum ad ſecundum, cùm dicuntur ab Oriente veniſſe, ſaltem certum efficitur Regionem Magorum reſpectu Jeroſolymæ Orientalem fuiſſe: imò propriè loquendo ex illis verbis colligitur regionem ipſorum in Orientali plaga ſitam fuiſſe; ideo enim abſolutè dicuntur ab Oriente veniſſe, & vidiſſe ſtellam in Oriente. Sicut ergo nos dicimur habitare in occidentali plaga, ita illi in orientali. Sed cum Oriens, cui Judæa confinis eſt, vaſtitatem magnam habeat, an ab aliquo Orientali loco vicino, an à remotis Orientis partibus venerint, ambiguum relinquitur. Multi tamen ex antiquis Patribus ex remotis partibus veniſſe aſſerunt, ſpecialiter S. Leo ſerm. de Epiphan. & tanto clarius myſterii hujus magnitudo declaratur, quanto ex remotiori regione eos ad ſe adduxiſſe infans iſto de præſepio aſſeritur. Et quidem aliqui ex antiquis eos ex Perſide veniſſe dicunt, quia Magorum auctoritas apud Perſas maxima fuit, & eorum conſilio omnia regni negotia adminiſtrabantur. Hujus opinionis fuit Baſilius, & Chryſoſt. hom.6 in Matth. Alii dixere quod ex Chaldæa venerint, in qua etiam Magi ſcientiâ floruerunt. Hujus opinionis eſt S. Hieron. & Ambroſ. l. 8. in Lucam. Et fortè hæc opinio à priore non multum diſſidet, quia ſub nomine Perſarum etiam Chaldæi comprehendi propriè poſſunt, cum aliquando idem fuerit regnum Perſarum & Chaldæorum. Interim probabiliſſimè dicitur, nec ex Perſide, nec ex Chaldæa, ſed ex Arabia Fœlice eos veniſſe, quia hæc eſt regio quæ muneribus illis, quæ Magi obtulerunt, abundat, & camelis, dromedariiſque, qui ſunt velociſſimi cameli, fertilis eſt. Conſonat iſtud ſcripturis jam allegatis: *Reges Arabum & Saba dona adducent*. Pſal.71. Item: *Dabitur ei de auro Arabiæ*. Item: *Inundatio camelorum operiet te, dromedarii, Madian, & Epha. Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes*. Iſa.60. Quæ ſcripturæ in hac feſtivitate impletæ indicantur, tum ab Eccleſia in officio ſuo, tum etiam à SS Patribus. Unde S. Hieronymus in Iſa. c. 60. ait: *Madian & Epha regiones ſunt trans Arabiam fertiles camelorum. omniſque provincia appellatur Saba, unde fuit & Saba Regina, quæ venit ſapientiam audire Salomonis*. Hujus ſententiæ eſt Tertullianus, Juſtinus, Cyprianus. Et quia Arabia fœlix ſic eſt Perſiæ vicina, ut etiam interdum ſub Perſiæ nomine comprehendatur, teſte Cyrillo Alexandrino lib. 4. in Iſaiam orat, 4. hinc fortè & Patres qui aſſerunt à Perſide veniſſe, non multum diſſonant. Quod autem dicitur: *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent*. Pſal.71. Item: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Coram illo procident Æthiopes*. Nomine Tharſis interdum ſignificatur mare, ita ut non ſit aliud dicere Reges Tharſis, quam Reges qui regnant in inſulis maris; & fortè aliquis horum Magorum dominabatur in inſulis maris, ſive ſinus Perſici. Nomine autem Æthiopiæ metaphoricè intelligitur Eccleſia ex gentibus congreganda, quia peccatis nigra erat, & tamen Iſraelis populum erat præventura, & à Chriſto mundanda.

Porro non ſine myſterio ab Oriente adducti dicuntur Magi iſti. 1. ut ait Chryſoſt. quia unde dies naſcitur, inde initium fidei proceſſit, eſt enim fides lumen animarum. 2. quia ab Oriente initium ſuum ſumpſerat peccatum, idololatria, maledictio: conveniens ergo erat ut gratia, fides, & benedictio ſuccedens ſuum ibidem ſumeret primordium. 3. ait S. Thomas, quia omnes qui ad Chriſtum veniunt, ab ipſo & per ipſum veniunt: Unde dicitur: *Ecce vir Oriens nomen ejus*, Zach 6. Ab Oriente igitur veniunt ad verum Orientem, & ipſe Chriſtus Dux eſt eis vel via, & terminus Viæ; quia ab ipſo, & per ipſum, & ad ipſum veniunt. Ipſe eis oritur, eos ducit, eis ſe oſtendit, eos reducit. Sicut nemo poteſt videre ſolem ſine prævio lumine ſolis: ſic nec Chriſti gratiam quiſquam poteſt percipere, ſine prævia gratia Chriſti. Hinc ipſe dicit: *Ego ſum via, veritas, & vita*. Joan.14. Via per quam oportet ire, veritas cum qua oportet ire, vita qua oportet invenire. *Simile.*

*S. Dion. Eccl hierar. c. 2.*

Via quæ excludit omnem aberrationem, veritas quæ excludit omnem deceptionem, vita quæ excludit omnem mortem. Hanc Magi viam ſecuti, hujus veritatis luce inſtructi & ducti, vitam Orientem invenere in ſuis incunabulis. Propterea etiã olim Chriſtiani in Baptiſmo Satanæ abrenunciantes, vultum & manum vertebant ad occidentem ter exſufflantes ſatanam, ad eam regionem converſi. Deinde ad Orientem faciem vertentes, profitebantur ſe Chriſto adhærere, & cum Sole juſtitiæ pactum inire, ſeque incolas eſſe Regionis lucis. Hæc eſt nempe Patria Chriſtianorum ad Orientem ſita, ad ipſam lucem & Solem, ut olim reſponderunt quinque Martyres, à Firmiliano Præfecto interrogati de qua forent civitate aut Patria, nec aliam ab eis ullis tormentis potuit vocem extorquere.

*Surius in vita S. Pamphili*

Pars III *Qualis fuerit ſtella quam viderunt.* *S. Thom. 3. p. q. 36. art. 7.*

QVantum ad tertium, Stella quæ Magis apparuit, non fuit una ex cœleſtibus, ut multis rationibus probat S. Thomas ex ſanctis Patribus. 1. quia illa nunc ab ortu ad occaſum, nunc a Septemtrione in meridiem ferebatur, quod eſt contra ordinarium curſum ſtellarum. 2. quia non ſolùm apparebat in nocte, ſed etiam de die; quod nõ eſt virtutis ſtellarum. 3. quia quandoque apparebat, quandoque occultabatur. 4. quia non habebat continuum motum, ſed cum oportebat ire Magos, ibat: cùm oportebat ſtarę, ſtabat, ſicut columna nubis in deſerto. 5. quia non ſurſum manens, ſed deorſum deſcendens, Virginis partum oſtendebat. Propter hæc igitur aliqui dixerunt fuiſſe virtutem inviſibilem in apparentiam tantum ſtellæ transformatam; immò fuiſſe Spiritum ſanctum, qui ſicut ſuper Dominum in ſpecie columbæ apparuit, ita nunc in ſpecie ſtellæ. Vel fuiſſe Angelum, qui apparuit Paſtoribus in humana ſpecie, Magis autem in ſpecie ſtellæ. Verum probabilius eſt fuiſſe ſtellam de novo creatam, non in cœlo, ſed in aëre vicino terræ, hoc eſt corpus lucidum & illuminans ex aërea aut elementari materia. Cui nomen ſtellæ attribuitur vulgari nomine, quia inſtar ſtellæ apparebat exterius, ſicut & cometæ aliaque corpora lucida in aëre apparentia, ſtellę nomen quandòque obtinent, immo & aer cœlum vocatur; alioqui ſtrictè loquendo, cum ſtella ſignificet corpus cœleſte, talis non erat hæc ſtella. Quod vero ſplendidior ſole dicitur ab aliquibus ſanctis Patribus, cum & in meridie luceret; non propterea lucem intenſiorem, aut perfectiorem habuit, quam ſol; quia difficile eſt creditu perfectiorem lucem connaturalem eſſe alicui inferiori corpori, aut datam eſſe à Deo ſine neceſſitate. Vt autem in meridie luceret, ſatis erat quod eſſet terræ propinqua, & haberet lucem valde perfectam, & materiam admodum denſam; hoc enim plurimum cõfert ad magis lucendum. Peracto autem officio, ſtella iſta in eandem reſoluta eſt materiam, ex qua à Deo formata fuerat.

*V. Suarez in 2. p. q. 36. a. 8. ſect. 5.*

*Stellæ motus fiebat ab angelo.*

Licet vero ſtella iſta verè corpus lucidum fuerit, tamen motus ejus (cum non eſſet uniformis ſed modo per modum deſcenſus, modo per modum aſcenſus, modo interruptus, modo progreſſivus, veriſimiliter fiebat à motore intellectuali, ſcil. ab Angelo; quia cum non eſſet naturalis, ſed ſecundum divinam voluntatem fieret, ordinariè tales motus per Angelos operatur Deus. Et hoc fortè voluerunt dicere Sancti Doctores, cum dixerunt fuiſſet inviſibilem aliquam virtutem in ſpeciem ſideris transfiguratam intelligunt enim non fuiſſe verè ſtellam cœleſtem, quamvis verum corpus lucidum fuerit, quod inviſibili virtute Angeli movebatur, ita ut in ſpeciem ſtellæ cœleſtis, virtus inviſibilis Angeli appareret in illo corpore radiante. Sic & Angelus in columna nubis & columna ignis Hebræos deducebat. Nam cœleleſtes ſpiritus omnis formæ expertes, eam ſpeciem & formam aſſumunt, quam uſus hominum poſtulat. Vndę B. Theodotus oratione de Chriſti Nativit. & ſtella ſic loquitur: In Præſepi poſitus Dominus, & à ſtella denuntiatus non a ſtella deſcendente ad Magos, neq; enim ſtellæ loca permutãt, ſed quoniam Chaldæorum terra plurimos habet ſtellarum motus inſpicientes, virtus ſuperna, nimirum Angelica, deducens Magos aſſumpſit ſtellæ ſpeciem; & ea doctrina ſua Chaldæi quod neſciebant, agnoſcunt: ut cum aſtronomiam reſpiciũt, ab aſtris Chriſti myſteria docerentur. Quapropter S. Hieron. rationem quoque inſinuans, cur Magi potius per ſtellam, quam per vocem cœleſtẽ, vel per Prophetã aliquem, vel per Angelũ ſint inſtructi de Filii Dei Nativitate, ſic loquitur: *Opertuit potius Prophetas mitti; ſed nequaquã Magi credidiſſent Prophetis: Aut Angelũ mittere; verũ & hunc forſan prateriiſſent: Aut voce aliqua deſuper inſonare; hanc quidẽ tantopere non curaſſent. Omnia ergo hæc Deus derelinquens, per ea vocat quæ familiaria eis conſuetudo faciebat, mira diſpenſatione pietatis ad hominũ ſalutẽ deſcendens.* Vtique mira eſt Dei providentia & bonitas, dum & Angelos & alias creaturas modo planè extraordinario electis ſuis ſubſervire facit ad æternam eorum procurandam ſalutem; injuſtis autẽ eaſdem creaturas vertit in cruciatum. Quod patet in illo; *Creatura tibi factori deſerviens exardeſcit in tormentum adverſus injuſtos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Hoc multis exemplis oſtendit B. Theodotus ſupra, *Aqua inquit, utebantur Hebræi ſanguis autem Ægyptiis Nilus factus eſt. Dies Iſraelitis erat, & clarũ eos circumfulgebat lumen; Ægyptiis autem hoc lumẽ factæ ſunt tenebræ. Babylonia quoq; flamma ros tribus facta eſt pueris; Quod quidem ros erat, tres edocent pueri per hanc flammã refrigerati, quod vero etiam flamma fuit, per hanc exuſti nuntiant Babilonii.* Hæc ille. Sic iterum verum eſt quod ſubdit Sapiens; *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deſerviebat, ad voluntatẽ eorũ, qui à te deſiderabũt.* Sic & de ſtella iſta, & de Angelo Dei eam movente dice-

*Theodotus in Concil. Epheſino.*

*Magi cur per ſtellã vocati.*

*Iuſtis Deus creaturas in ſalutem, injuſtis vertit in cruciatu. Sap. 16.*

dicere poſſumus, quod ut gratiæ Dei & voluntati benevolæ erga hos electos plenè deſerviret, in varias formas & ſitus ſe transfigurabat; modo clarior modo abſcurior, modo ſe abſcondēs, modo ſe prodens, modo aſcendens, modo deſcendens, modo progrediens, modo ſiſtens. [*Chriſol. ſer.165.*] Vnde S. Chriſol. *Ambulāte Mago, ſtella ambulabat, ſtante Mago ſtat ſtella, dormiente Mago, excubat ſtella. Sic ſentit Magus ut quibus viandi par conditio eſt, par ſit neceſſitas ſerviendi. Et ſtellā jam non Deum credit, ſed judicat eſſe conſervam quam cernit taliter ſuis obſequiis mancipatam.* Interim eadem ſtella ſerviens electis ad obſequium, incredulis erat ad tormentum; Nam veriſimile eſt multos præter hos Magos eam vidiſſe, nec credidiſſe; nec eam ſecutos fuiſſe; his ergo erat ad condemnationem, quæ Magis fuit ad ſalutē. [*Matt. 12.*] In Evangelio dicitur, quod Ninivitæ ſurgent in judicio, & condemnabunt generationem incredulam; quia ad prædicationem Ionæ crediderunt, hi autem ad prædicationem Chriſti cor clauſerunt; *& ecce pluſquam Ionas hic*: item quod Regina Saba ſurget in judicio, quæ á finibus terræ venit audire ſapientiam Salomonis, *& ecce pluſquam Salomon hic*. Similiter dicimus, non ſolum quod Reges iſti, ſed etiam quod ſtella in judicio ſurget, & contemnabit incredulos. [*Guil. Pepin. ſer.1. in feſto Regū*] Et forſitan (inquit quidam Doctor Thelogus) verè & realiter iterum apparebit ſtella iſta in die judicii, ad gloriam Regum, qui eā ſecuti à finibus terræ venerunt adoraturi Chriſtum Regem natum; & ad vituperium juſtamque reprobationem Iudæorum, qui præſentem contempſerunt, & blaſphemaverunt: ſaltem mentaliter eis à Chriſto repræſentandam eam ſtellam ad confuſionem, rectiſſimè aſſeritur.

[*Concluſio.*] Concludamus de hac ſtella, & dicamus ex communi Patrum ſententia, hos Magos fuiſſe poſteros ſive ſucceſſores Balaam, qui vaticinatus erat de [*Num. 24*] Chriſto *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet Duces Moab.* Ex quo vaticinio edocti fuerunt orituram quandoque ſtellam, quæ Nativitatem magni cujuſdam Regis Iudæorum indicaret; cujus virga, id eſt ſceptrum aliis Regibus & Ducibus dominaretur: [*Magi & ſtella & inſtinctu Spiritus S.*] Atq; ideo Magos viſa hac ſtella mox permotos fuiſſe ad Regem hunc inquirendum. Adde tamen non ſolum ſtellam & ſignum iſtud viſibile eos permoviſſe, ſed etiā ſpecialem Spiritus S. inſtinctum adfuiſſe, per quem [*Leo ſer.1.*] cognoverunt, quis & quantus ille Rex eſſet, & quomodo ut Deus adorandus. Vnde S. Leo *Dedit aſpicientibus intellectum qui præſtitit ſignum, & quod fecit intelligi fecit inquiri, & ſe inveniendum obtulit requiſitus* Et iterū: [*Idem ſer.3.*] *Agebat ſine dubio in cordibus eorū inſpiratio divina, ut eos tantæ viſionis myſterium non lateret; & quod oculis oſtendebatur inſolitū animis non eſſet obſcurum.* [*Inſpiratio interior ſtella eſt.*] Hinc & inſpiratio interiorque illuſtratio inſtar ſtellæ nobis eſt, ad Chriſtum nos vocans; quæ licet ducat ad humilia & abjecta, quaſi ad præſepium, imò ad adverſa & aſpera, quaſi ad crucem, numquam tamen eſt negligenda, ſed ubique ſequenda; ut Chriſtum tam in adverſis quam in proſperis, tam in abjectis quam in ſublimibus toto corde adoremus, ejuſque voluntati nos conformemus, dicentes *Paratum cor meum Deus, paratum cor meū.* [*Pſal. 56*] Fœlix igitur, qui intrepidè ſequitur ſtellam vocationis ſuæ quamlibet via difficilis videatur & dura, ut IESUM tandē inveniat, qui dignus eſt ut deſideretur, & quæratur per omnes labores, cruces, & tormenta. Fœlix qui inſtar Magorum non torpidè & cunctanter, ſed cum prompta obedientia & humilitate, cum devotione & charitatis fervore, gratiæ interius fulgenti & vocanti quæ nulli deeſt, cooperans progreditur; non greſſu corporis, ſed effectu mentis, perſeveranter ad eum tendens, qui eſt objectum digniſſimum, principum, finis, centrum omnium noſtrorum deſideriorum. Felix, qui illum quærit purè propter ipſum, ſicut & hi; non enim ab eo aliquid petierunt, vel beneficium aliquod expectarunt, ſed *venimus adorare eum*, inquiunt ipſi. Ad illum colendum, amandum honorandum, agnoſcendum, & manifeſtandum veniunt; licet adorantes gratiam & favores cœleſtes ab eo perceperint. Vtique, ut ait Sanctus [*Bern. de diligendo Deo.*] Bernardus: *Non ſine premio diligitur Deus, licet abſque præmii intuitu, ſit diligendus. Vacua eſſe vera charitas non poteſt, nec tamen mercenaria eſt. Non quærit quæ ſua ſunt: ſponte afficit, & ſpontaneum facit. Verus amor ſeipſo contentus eſt; habet præmium, ſed id quod amatur.*

## DE EODEM FESTO

*Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt.* Matth. 2.

[LECT. IV. tripartita.]

[PARS I. *De Herodis turbatione & ejuſdem diſſimulatione.*]

IN his Magis, qui primitiæ fidei noſtræ fuerunt, merito admiramus fidem ferventem & cōſtantem. Ingrediuntur civitatem regiam, nec Imperatorem Romanum, nec Herodē vice ejus ibi Regem veriti, publicè & conſtanter interrogant: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Rege vivente alterum Regē pronunciare numquid crimen ſanguinis? Sed nec tyrannidem Regis præſentis, nec periculum verentur mortis: Audi S. Chryſoſt. in opere imperf. *O beati Magi, qui ante conſpectum crudeliſſimi Regis, antequam Chriſtum cognoſcerent, Chriſti facti ſunt Confeſſores. Adhuc non viderant Chriſtum & jam parati erant mori pro eo.* Magna fides fuit Centurionis, de qua teſtatur Dominus: *Nō inveni tantā fidē in Iſrael.* [*Matt. 8.*] Magna fides mulieris Chananeæ, cui iterum Chriſtus: *O Mulier, magna eſt fides tua!* [*Matt. 15.*] Magna eſt fides Latronis inter ſupplicia crucis in Crucifixū credentis. [*Luc. 23.*] Sed horum Regum an non fides major? Centurio & Chananæa, multa jam Chriſti vel viderant, vel audierant miracula. Latro plurima cernebat prodigia, cœlo & ſole ſe obſcurante, petra ſe findente, & tota pene creatura obſtupeſcente. At hi nihil adhuc de Chriſto

vide-

viderant, tamen adeo intrepidè de ejus Nativitate & ſtella teſtimonium publicè perhibent & confitentur Regem, quem nondum viderunt infantem. Et hanc quidem confeſſionem non ſine diſcrimine fuiſſe, ex eo liquet, quod Regem præſentem, ejuſque aulam regiam, imò totam turbarit Jeroſolymam: ac poſtmodum ex confeſſione iſta exorta turbatio in mente Tyranni in rivos ſanguinis per cædem innocentium exundavit, quorum quatuordecim millia internecioni fuiſſe data teſtatur Kalendarium Græcorum die 29. Decembris, idemque dicitur in Liturgia Æthyopum.

Sed quandoquidem res non erat ſine periculo, cur voluit Deus Reges iſtos Jeroſolymam ingredi? cur non in Bethleem eos ſtella compendioſo & recto duxit itinere? cur ſe occultavit (vel lucis radios continendo, Deo ſuſpendente concurſum, vel ſe ita elevando, ut videri non poſſet) cum Jeroſolymam appropinquarent, ita ut putantes ibi eſſe terminum itineris, Regem natum in civitate Regia exiſtimarint requirendum? cur voluit Deus permittere Herodis turbationem, & innocentium cædem? Horum Sancti Patres variam reddunt rationem.

*Cur Magos Ieruſalem Deus ingredi voluerit.*

Primo igitur voluit eos Deus ingredi Jeroſolymam, ut Nativitas Chriſti per Gentiles Judæis publicè nũtiaretur, eorumque cæcitas indicaretur: ac deinde, ut ipſi per Gentiles edocti, cogerentur verum proferre teſtimoniũ de loco Nativitatis Meſſiæ, quo ipſimet convincerentur, mendaces à ſe veraces contra ſe. Inquiſiti enim ubi Chriſtus naſceretur, oracula Scripturarum conſulentes coguntur reſpondere; *In Bethleem Iuda*: quia ſcriptum legunt: *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet Dux qui regat populum meum.* De hac ſcriptura egimus, cum de Nativitate Domini diſſeruimus; & quia varias habet lectiones, videri poſſunt de ea paſſim Interpretes. Hæc ſolum dicimus cum S. Aug. *Quid per hoc aliud ſignificavit divina Providentia, niſi apud Iudæos ſolas divinas litteras remanſuras, quibus gentes inſtruerentur, illi excæcarentur? Illuminatio enim Magorum, teſtimonium eſt cæcitatis Iudæorum, dum illi in eorum terra eum requirunt, quem hi in ſua non agnoſcebant; dum illi de longinquo venientes, puerum nondum verba promentem adorant, quem hi miracula facientem crucifigunt; quaſi plus fuerit videre novam ſtellam in ejus Nativitate fulgentem, quam Solem in ejus morte lugentem.* Inexcuſabiles vero magis redduntur, dum interrogati à Magis, locum indicant Nativitatis, nec requirunt ſimiles facti fabricantibus arcam Noë, qui aliis mediũ quo evaderent, præſtiterunt, & ipſi diluvio perierunt: ſimiles lapidibus milliariis, qui viam oſtendunt, nec ipſi ambulare poſſunt: ſimiles cymbalo Eccleſiæ, ſono ſuo ad Eccleſiam omnes vocanti, & ſemper foris remanenti. Sic illi foris manſuerunt à Dei gratia excluſi, & Magi geminato teſtimonio confirmati, ardentiori fide illum expetierunt, quem & ſtellæ claritas, & Prophetiæ manifeſtabat auctoritas. Sic denique aliis demonſtrato vitæ fonte, ipſi mortui ſunt ſiccitate.

*Mich. 5.*

*Aug. ſer. 2. Epiph.*

*Iudæi excæcati quibus ſimiles,*

Notat vero S. Chryſoſt. licet Scribæ verè Prophetiam protulerint, Nativitatis locum indicantem, tamen eam præcidiſſe, nec integram protuliſſe; ita ut non tam Doctores Herodis, quam irritatores malitiæ ejus fuerint, & occaſionem dederint interficiendorum parvulorum. Sicut enim ſcriptum erat; *Tu Bethleem terra Iuda, ex te exiet Dux qui regat populum meum Iſrael*; ſic mox adjicitur: *Dies ejus à diebus ſæculi*; ſive ut noſtra lectio habet; *à diebus Æternitatis*: Si ergo integram prophetiã protuliſſent, conſideraſſet Herodes, quod dies naſcituri Regis illius à diebus ſæculi erant: & intelligens antiquitatem honoris ejus, quia non erat ille talis Rex terrenus, in tantum furorem non exarſiſſet adverſus eum. *Nunc autem præciſa hac parte prophetiæ, quæ compeſcere poterat zelum ipſius primam partem ſolum protulerunt*, Hæc Chryſoſt. in opere imperf. vel quiſquis auctor eſt. Non abſimiles ſunt noſtri hæretici, qui ut ſua ſtabiliant dogmata, Scripturæ quidem verba in medium proferunt, ſed nonnumquam mutilata & conciſa. Sic contra imagines allegant illud: *Non facies tibi ſculptile*; relinquunt quod ſequitur, *ut adores illud*. Sic contra interceſſionem Sanctorum proferunt: *Vnus eſt Mediator*; relinquunt quod ſubjicitur: *Qui dedit ſemetipſum pro multis*. Sic contra leges humanas, & præcepta Eccleſiæ allegant: *Vnus eſt Legiſlator & Iudex*; ſubticent quod ſequitur, *Qui poteſt perdere & ſalvare.*

*Hæretici ſcribis veteris legis ſimiles.*

Secundo dicamus, Deum voluiſſe permittere turbationem Herodis, ut ejus crudelitas & aſtutia pateſceret, moliens occultam necem puero; ſimulque omnibus innoteſceret nihil poſſe humana cõſilia adverſus divina; nec quemquam ei poſſe vitã eripere, niſi cum eam pro nobis dignaretur ponere: *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Dominus reprobat cogitationes populorum & conſilia Principum, conſilium autem Domini in æternum manet.* Sic Pharao jubet ſubmergi omnes maſculos Hæbræorum, ne gens illa multitudine & fortitudine in Ægypto invaleſcẽs, rerum tandem potiretur. Verum unus evadit Moyſes, qui gentis ſuæ Dux de manu Pharaonis eam eripere potuit, & Regem cum exercitu ſuo in profundum maris mergere; & ita non eſt conſilium, non eſt ſapientia contra Dominum. Sic iterum putabant fratres perdere Joſeph, Saul Davidem, Aman Mardochæum: ac conſilium & molitio iniqua in caput eorum revertitur. Turbatur igitur Herodes, & omnis Hieroſolyma cum illo, quia hoc eſt ingenium adulatorum, Principis ingenio ſe conformare. Turbatur ipſe & omnes impii cum eo; dum lætantur Angeli, & juſti cum eis.

*Cur Deus Herodis turbationem permiſerit.*

*Pſal. 32.*

Et meritè turbatur, quia ſemper ſæva præſumun impiorum conſcientiæ. Quam pulchrè ſuis depin-

 gitur

gitur coloribus Herodes in Job. *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorum incertus eſt tyrãnidis ejus. Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur, circumſpectant undique gladium.* Ipſe tyrannicè regnũ occuparat, & tyrannice adminiſtrabat, Regno exigi adventante novo Rege formidat, etiam infantem imbellem & infaſciatum pertimeſcens. Quid erit tribunal iudicantis, ſi ſuperbum Regem cuna terrebat infantis? Sed fruſtra turbaris, ò Tyranne, non eripit mortalia qui regna dat cœleſtia. Non venit hic puer ut alienam invadat gloriam, ſed ut donet ſuam, non ut regnum terreſtre præripiat, ſed ut cœleſte conferat: non caput parat ad gemmatum diadema, ſed ad ſpineam parat coronam: non thronum aut ſceptrum aureum, ſed crucem ambit acerbam. Venit non ut pugnet vivus, ſed ut triumphet occiſus; nec Reges pugnando vult ſuperare, ſed moriendo ſubjugare. Morietur, non quando voles, ſed quando volet: & mortem quam cupis inimicus inferre, pro inimicis ab inimicis ſuſtinebit, & eam in ſuo corpore occiſus occidet.

*Job. 15.*

*Poteſtas ſublimis timori obnoxia.*

Cæterum exemplo iſto Herodis etiam & hic pateſci, quomodo poteſtas ſublimis ſæpè ſit timori obnoxia. Quia ſicut cacunen arborum in excelſo ſitarum, etiamſi aura levis flaverit movetur, ſic & homines in culmine dignitatum poſitos etiam levis nuncii aura conturbat. Humiles autem ſicut in convalle, ſic plerumque ſunt in tranquillitate, ait Chryſoſt. Qui etiam rectè advertit, quod non tantum Herodes à ſemetipſo turbabatur, quãtum diabolus in Herode. Herodes timebat quod ſuſpicabatur; diabolus timebat quod verè ſciebat. Herodes hominem æſtimabat, diabolus Deum cognoſcebat. Audierat enim Angelos inclamantes: *Gloria in excelſis*; & quanto magis teſtes addebantur Chriſto, tanto magis ſuæ poteſtatis deſtructionem timebat. Unuſquiſque eorum celo proprio turbabatur, & ſecundum naturam ſui regni ſucceſſorem timebat. Herodes terrenum, diabolus cœleſtem. Non terreretur Herodes, ſi cœleſtem Regem naſci ſuſpicaretur; nec diabolus ſi terrenum. Utrique jam ſentiebat ſibi prædam eripi, & nomen ejus in Prophetia expreſſum impleri: *Velociter ſpolia detrahe, feſtina prædari.*

*In opera imperf. in c. 2. Matth. Herodis & Diaboli turbatio.*

*Iſa. 8.*

*Diſſimulatio turbationis in Herode.*

DIſſimulat interim Herodes turbationem, & ſimulat devotionem; clamque vocatis Magis, poſtquam didicit tempus ſtellæ, indicat ſe puerum velle adorare. Occultè vocat Magos, quia palam nihil audet ſimulata mens, conſcientia doloſa: Occultè vocat, quia fur amat noctem, & latro in occulto tendit inſidias. Et qui timet Regem ſignum cœli non timet, temporis non pertimeſcit auctorem, ideo inquirit diligenter tempus ſtellæ; & forſitan explorat an in ſuum conſilium quaqua via eos valeat peitrahere. Sed advertens poſt diligentem inquiſitionem, magnam Magorum devotionem, nec blandimentis flectendam, nec minis terrendam, nec auro corrumpendam, ut in necem Regis quæſiti conſentirent; malitiam cordis depingit colore humilitatis & conſimilis, devotionis; ſic eos decipere moliens, ſi proderent illum quem cœlo teſte agnoverant. *Molliti ſunt ſermones cujus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* Labia habet doloſa, corde, & corde locutus eũ. *Vox ejus vox Jacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſau*: vox pietatem ſonat, ſed manus impietatem molitur, & animus. Hoc nimirum eſt ingenium mundi in maligno poſiti, ut in occulto gravius noceat benevolentiam fingere; in labiis mel proponere, cauda aculeum figere. Sic Joab Amaſon oſculo & amplexu ſalutat, ſimulque pugione exacuto, letale vulnus infligit. Sic Judas cum ſigno benevolentiæ Dominum ſuũ prodit impiè. Ideo & de Herode inclamat S. Fulgent. *Ite*, inquit, *& renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eũ. O calliditas ficta! O crudelitas impia! O nequitia fraudulenta! Sanguis Innocentium quem effudiſti, atteſtatur quid de hoc puero voluiſti.* Hoc poſtmodum agnoverunt impii Herodis conſilium pii adoratores: quod regni amore, ſucceſſoris timore, vagienti pararet necem, cunis indiceret bellum, matris gremio & uberibus exacueret ferrum, ut divina ſoboles antea ſepulchrum intraret, quam mundum: & ideo renunciant ei, quia adhærentes Chriſto, renunciant Herodi & diabolo. Renuntiant ergo, non quomodo Herodes intellexerat, ſed quomodo intelligere debuerat. Unde ſic S. Petrus Chryſolog. *Convenienter dixit Herodes: Renunciate mihi, quia ſemper diabolo renunciat, qui ad Chriſtum pervenire feſtinat. Chriſtianus futurus à ſacerdote, cum audit Renuncias diabolo? Reſpondet? Renuncio. Propriè ergo à Magis renunciari ſibi debere dicit Herodes, qui Diaboli tenebat locum. Satanæ implebat perſonam & præceptum.* Sed etiam quiſquis aliquid humanitatis habet execratur & renuntiat crudelitati Herodis, quæ adeo tenellæ non parcit ætati. Natura enim docet, quid valeat, quid mereatur nfantia. Quam non feritatem mitigat? quã crudelitatem non comprimit? quem non compeſcit furorem? Quid non amoris poſtulat? quid non affectionis extorquet? quam non impetrat gratiam & charitatem? Hoc ſciunt Patres, ſentiunt matres, probant omnes, viſcera humana teſtantur. Et tamen apud malitiam Herodianam, ſic pia, ſic chara, ſic blanda nihil proficit infantia, ut ætati parcatur, vel tempori, ut innocentiæ parcatur prolium, vel pietati matrum.

*Pſal. 54.*

*Gen. 27.*

*2. Reg. 20.*

*Chryſol. ſer. 158.*

*Cur innocentiũ cædem Deus permiſerit.*

Tertio & hoc nobis ſupereſt breviter explicandum, cur voluerit Dominus immanem adeò permittere innocentum cædem? Nempè propter eorum gloriam id permiſit, & propter ſuam: ipſe qui venerat Agnus immolari, hos agniculos ſibi prius cruore purpuratos cupit offerri; immo illos tanquam primitias cruoris ſui in circumciſione effuſi offert ipſe Patri. Unde de illis ſic alloquitur Chriſtum quidam è ſacris Doctoribus: *Quodam modo præcurrunt primitias tuas, ô Chriſte primitia noſtra;*

*P. Cellenſis lib. de panibus c. 28.*

*noſtra; præcurrunt revera moriendo ante te, ſed non præcurrens veniendo ad regnum ſine te. Ad portam te ſuſtinebunt, quia cuſtodes niſi te viderint, regnum æternum non reſerabunt. In paſſione igitur ſanguinis nõ in poſſeſſione beatitudinis, agniculi ſuum Paſtorẽ præcedunt. Si autem præcedunt, quomodo verum eſt, ſequuntur Agnum quocumq; ierit? Vtrumq; verum eſt & quod præcedant, & quod ſequantur; præcedunt in morte, ſequuntur in reſurrectione; prius currere cœperunt, ſed in curſu ſubſtitere.* Hæc ille. Voluit inſuper Dominus ab his primis martyrib⁹, qui merito prima ſemina & flores martyrum nominantur, nativitatis ſuæ teſtimonium habere; nam dum propter ipſum recenter natum occiduntur, certiſſimum illi teſtimonium ab his præbetur, longè apertius, & perfectius quam à Scribis & Phariſæis ab Herode congregatis. Quocirca de illis ſic loquitur Sanctus Leo ſerm. 1. Epiph. *Veritatem ore proferunt, mendacium corde ſequuntur. Noluerunt agnoſcere oculis, quem de ſacris indicabant libris. Quæ eſt iſta, o Scribæ tam imperita in vobis ſcientia, & tam indocta doctrina? Cur vobis viam, quam aliis aperitis, obſtruitis? Felicior ignorantia infantium quos perſecutor occidit quam veſtra ſcientia quam in ſua perturbatione cõſuluit. Vos noluiſtis regnum ejus percipere, cujus oppidũ potuiſtis oſtendere. Illi potuerunt pro illo mori, quẽ nõdum poterant confiteri.* Certè infãtes hi infanti Chriſto deſerviebant, non ſolum tamquam teſtes, ſed etiam ut adventus ejus & Nativitatis publici præcones. Nam ſævitia Herodis volens ſuſpecta ſibi Regis primordia extinguere, huic diſpenſationi neſciens ſerviebat: ut dum atroci intentus facinori ignotum ſibi puerum indiſcreta infantium cæde perſequitur, annunciatum cælitus Dominatoris ortum inſignior ubiq; fama loqueretur: quam promptiorem ad narrandum faciebat, & ſupernæ ſignificationis novitas, & cruentiſſimi perſecutoris impietas, ut loquitur idem S. Leo ſer. 2. Epiph. *Vide ergo quod ordinata divinitus ſerie Præcones Chriſti ſortitus eſt in ortu ſuo, Angelos, Paſtores, Stellã, Reges, Oraculum Prophetæ à Scribis pronunciatum, Iuſtos in templo per benedictionem & laudem; Infantes in Bethleem per ſanguinem.*

*PARS I. De egreſſu magorum & ſtella iterum apparente.*

CUm hi Magi Regem audiſſent, abierunt, abſque dubio ſubtriſtes; tum ob ſtellæ ducatum quem paulò ante Jeroſolymæ ingreſſum perdiderant; tum ob eam quam in Herode, & Hieroſolymitanis Primoribus animadvertere poterant turbationem: quia nec ſubdolus eorum animus omnino latere potuerat, quantumlibet pietatis velo ſeſe abſcondere niteretur. Etenim verum eſt illud: *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter: qui autem depravat vias ſuas, manifeſtus erit.* (*Prov. 10.*) Ubi 70 Interpretes legunt: *Qui detorquet Vias ſuas cognoſcetur.* Quantumlibet ergo Herodes ſigna pietatis prætenderet; dolum apud ſe ſuſtinere & premere non poterat, tortuosè ambulans. (*Simile*) Sed ſicut ſi ignis in imis lignis ſit occultatus, etiamſi nondum in luculentam flammam attollatur, emicantes tamen ſcintillæ quædam aut fumus illum ſubindicant: ſic & Herodes impietatis fraudem vel obſcuram animi ſui caliginem prorſus abſcondere non poterat, ſimulato licet ſermone. Et hoc igitur potuerat horum animis aliquid caliginoſi mæroris affligere: nec enim læta omnia ſolet Deus diuturna facere, ſed amara lætis permiſcere, & alternantibus proſperis & adverſis ſe quærentes exercere. Quo quidem modo ſibi uſitato ſe erga hos Reges geſſiſſe, non obſcurè colligitur, cum ex ſtellæ ſubtractione, tum ex iſta Hieroſolymæ ob eorum adventum & interrogationem turbatione. Sed adeo conſtans & perſeverans fuit eorum animus ſupernè illuſtratus, ut nec labore itineris, nec turbatione Regis, nec amiſſione ſideris frangerentur. Ad quærendum igitur puerum cælitus deſignatum, iter proſequuntur, ideoque eorum conſtantiam ſuo etiam Dominus proſequitur renovato favore. Nam *ecce ſtella quam viderant in Oriente antecedebat eos, donec veniens ſtaret ſupra ubi erat puer,* inquit Evangeliſta. Sic nempè perſeverantia impetrat gratiam; perſeverantia ſola invenit Chriſtum: perſeverantia reportat inquiſitionis præmium: perſeverantia parit plenum & conſummatum gaudium. Unde & de illis ſubditur: *Videntes autem ſtellam gaviſi ſunt gaudio magno valde.* Jam plurimum tentata fuerat eorum fides; quod in regia urbe non invenirent eum quem quærerent, quod ibidem ad ejus nomen vidiſſent Judæos conturbatos, quod incognitus illic omnibus foret ideoque ſe poterant arbitrari deluſos. At ubi vident ſtellam quæ Nativitatis tempus demonſtrarat, etiam locum demonſtrare an non merito gaudent ſpem ſuam non eſſe fruſtratam? An non ſeges gaudij magni, quod non fruſtra tanti itineris ſuſceperint laborem? An non occaſio gaudij magni valde, hoc eſt maximi, quod ſtellam ad eundem locum perducere conſpiciunt, quem jam etiam oraculis Prophetarum didicerant? *Gaudium* ergo eis de ſtellæ recuperatione: *Gaudium magnũ* de pacifica & incolumi ad locum deſignatum cœlitus perventione: *Gaudium magnum valde* de pueri inventione.

*Covet. Ianſe. Stella am tota via apparuit.*

Quia vero Evangeliſta dicit: *Stella quam viderant in Oriente antecedebat eos,* aliqui inde colligũt ſtellam non fuiſſe reliqui itineris Ducem; ſed ſolum fuiſſe viſam ab eis dum eſſent in Oriente, & exinde ſe ducem ſolum præbuiſſe in egreſſu è Jeruſalem; & propterea etiam eos tanto exilijſſe gaudio ea iterum viſa. Sed communis eſt Sanctorum Patrum ſententia Stellam toto eos itinere comitatam, & hoc indicat hymnus Eccleſiæ: *Ibant Magi quam viderant ſtellam ſequentes præviam.* Et favet ratio, quia decebat homines adhuc in fide novellos ſenſibili ſigno duci: nec Evangelica narratio repugnat, licet id ita explicare non exprimat. Itaque ſtella illa in die Nativitatis eis apparuit, & tredecim diebus velocitate dromedario-

*Leo ſermon. 2. Chryſ. hom. 6. in Mat. Beda Chryſ. Theophil.*

*Euthy. S. alij Ser. S. Tho. de Epiph.*

rum, qui ſunt velociſſimi cameli, eos perduxit in Bethleem: dicuntur enim 40. leucas poſſe dietim perficere. Arabia autem trecentis tantum diſtat leucis.

Nam quod aliqui cum Aug. dicunt biennio ante Nativitatem apparuiſſe (aut certè multo tempore ante eandem, ut dicit Chryſoſtomus) non eſt veriſimile: Multo minus quod B. Epiphanius dixit Chriſtum adoratum biennio poſt apparitionem ſtellæ, & Nativitatem ſuam. Nec refert quod Herodes occiderit infantes *à Bimatu & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis.* Herodes enim cum nihil audiret à Magis, exiſtimavit eos fallaci viſione deluſos, & ideo pudore prohibitos redire in Jeruſalem At poſtmodum vulgatis his quæ in templo in purificatione acciderant, vidit ſe illuſum, & cæpit quærere puerum ad necem; non poſt duos annos, ut aliqui dixerunt, ſed poſt paucos menſes. Et occidit omnes à bimatu & infra, non quod exiſtimaret ſtellam à biennio apparuiſſe, ſed præ timore & furore, ad majorem ſecuritatem; ſicut ad majorem cautelam occidit pueros non ſolum in Bethleem, ſed etiam in omnibus finibus ejus.

*Hom. 7. in Matt.*

*Stella ſtetit ſupra caput pueri.*

Quod autem ſtella dicitur ſtetiſſe ſupra ubi erat puer, confirmat quod ſupra diximus, eam in aere vicino fuiſſe, alioqui non ſatis domum & locum in quo erat puer, diſcreviſſet: quod fieri conveniebat, ne iterum in Bethleem cogerentur interrogare de puero; & ita mox de illo vulgata fama ad Regis inſidiantis aures perveniret. Sic ergo puer ſtellæ agit curſum, ſic temperat & dirigit greſſum ut Regibus certò ortus ſui deſignet locum, & ſecurum ad ſe det ingreſſum. *Stetit enim ſupra caput quaſi dicens. Hic eſt, ut quem loquendo monſtrare non poterat, ſtando monſtraret.* Sic cultores ſiderum, noctis incolæ, auctorem lucis inveniunt in tenebris; auctorem cæli inveniunt in terris: & qui in cælo cum aſtris errantibus errarant, Deum verum non reperientes, in terra reperiunt cum ducatu novi ſideris; nec id tam fit ſubſidio ſcientiæ ſuæ & humanæ artis, quam favore ſpeciali divini muneris. Non enim hic ſatis valebat induſtria quærentis, nec erat natura ſtellæ hujus & ſideris ut puerum demonſtraret; ſed eam dirigebat benignitas auctoris, & virtus naſcentis. Et quid mirum ſi ſoli juſtitię orituro ſtella miniſtrat, & ortum ejus deſignat quandoquidem dignetur & ipſe Sanctorum ſuorum illuſtrium nativitatem, vel mortem, per ſtellarum apparitionem, vel per præſagium aliquod lumen nonnumquam demonſtrare?

*Auctor Imper. oper.*

*Stella Sanctorū nativitatis, & mortis pręnuntia.*

Sic cum natus foret *S. Dominicus* apparuit in viſu nobili cuidam Matronæ, lucidiſſimam ſtellam in fronte gerens, cujus ſplendore totus orbis irradiabatur; ut habet ejus vita l. 1. c. 1. & c. ult.

Sic *S. Nicolaus Tolentinas* in cella ſua dormiens vidit ſidus radiantiſſimum: vigilans vero vidit ſtellam, quæ quotidie motu recto ipſum antecedebat uſque ad altare; deinde ſtella hæc poſt mortem ejus ipſo die obitus quo annis ad tumulum ejus viſa eſt.

*Surius in vita*

Sic in morte *S. Thomæ Aquinatis* viſa eſt viro cuidam Religioſo ſtella incumbens monaſterio, quæ illo animam exhalante in cælum aſcendebat: unde ipſe licet abſens, Thomæ obitum & gloriam cognovit. Caſtig. in hiſt. ord. ſui p. 1. l. 3. c. 33,

Sic *Abbas Policronius in Prato ſpirit. c.* 6. narrat de S. quodam Monacho, ſuper cujus defuncti caput ſtella quaſi comes itineris apparere non deſtitit, donec ipſum ſepulturæ traderent. Et c. 104 narrat Abbas Theodoſius ſe vidiſſe ſtellam lucidiſſimam ſuper caput Presbyteri.

Sic dum ortus fuit *S Carolus Borromæus*, duab^9 horis ante ortum ſolis, in arce Arona apparuit ſuper cubile Matris inſolitus quidam fulgor, radio ſolis ſimilis, latitudine cubitorum ſex, longitudine vero protentiſſima, quem palam contemplati ſunt præſidiarij milites & cuſtodes loci, alijque plurimi.

Sic quo tempore *S. Suybertus* Verdenſis Epiſcopus in lucem fuit editus, totum cubiculum ſplendor irradiavit, donec in lucem editus eſſet.

*Surius 1. Martij*

Idem de *S. Heriberto* refertur à *Ruperto tuitienſi apud Surium 12. Mart.* Idem de *S. Avito* 17. Junij, qui in ortu ſuo tanto cum lumine prodijt, ut obſtetrices ab officio deterritæ cæleſtem ſplendorem auſæ non fuerint intueri.

Ipſe igitur qui viſitavit nos tanquam ſol Oriens ex alto, ſicut ortum Sanctorum ſuorum quandoq; ſplendore cæleſti deſignat; ſic & ſtellam novi fulgoris elegit ſui ortus prænunciam, cujus favore vult quæri, cuius luce vult inveniri. Et ideo hi gentiles Reges & Aſtrologi, qui verum ignorantes Deum, dijs totidem, quot ſideribus ſervierant, hoc ſigno eruditi unum agnoſcunt Deum, eumq; adorant humana carne veſtitum. *Nam procidentes adoraverunt eum, &c.*

*PARS III. De adoratione & oblatione munerum eorum.*

TUgurium & ſpeluncam Bethleemiticam domum appellat, quod utcumq; habitaretur, inquit Euthymius. Nec enim Virgo hunc præſepij locum, partus ſui diverſorium reliquit ante purificationē: & ubi ab Angelis & Paſtoribus fuerat viſitatus, à ſtella voluit demonſtrari, à Magis & Regibus voluit adorari, ut communior Patrum fert ſententia. Quam expreſſit eleganter Auguſt. ſer. 2. de Epiphania. *In præſepio tunc jacebat, & Magos ab Oriente ducebat: abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cælo, ut agnitus in cælo, manifeſtaretur in ſtabulo,* Et inde tanto magis eorū fides eluceſcit, quod puerulum invenientes in præſepio, vel vili tugurio à cæteris pueris nihil differentem; nihilominus ei regium & divinum deferunt honorem. Qua de re ſic dicit S. Chryſoſtomus. *Numquid viderunt palatium marmoribus ſplendidum? Numquid matrem diademate coronatam? Numquid puerum purpura involutum? Numquid aulā regiam diverſis populis perſonantem? Sed quia? Pandochium tenebroſum & ſordidum*

*Ser. 2. Epiph.*

*In op. imper. hom. 2.*

*ſidum, animalibus magis quam hominibus aptum, quo nemo ſecedebat niſi neceſſitate coactus. Matrem ejus vix tunicam habentem, non ad ornamentum corporis, ſed ad tegumentum nuditatis, quam habere poterat uxor Carpentarij peregre conſtituta.* Si Regem terrenum quæſiſſent, hæc eis magis poterant eſſe confuſioni quam gaudio: ſed Regem cœleſtem quærentes, licet nihil regale videant, ſtellæ ſolius contenti ſunt teſtimonio, cum quo & interius jungebatur cæleſtis inſpiratio & inſtructio. Per hanc igitur in paupertate agnoſcunt divitias, in infantia ſapientiam, in humilitate altitudinem; in imbecillitate potentiam, in præſepio animalium Dei thronum, in pannis vilibus majeſtatem. Lynceis fidei oculis ultra parietem humanæ mortalitatis agnoſcunt latentem gloriam divinitatis. Præerat enim huic adorationi falli aut fallere neſcia gratia Dei: alioqui non adoraſſent infantem non intelligentem adorationis honorem, niſi aliquid divinum in eo credidiſſent. Ergo non pueritiæ detulerunt honorem nihil intelligenti, ſed divinitati omnia cognoſcenti.

Sed & ipſa munerum qualitas ſatis indicat eorum fidem, & à Spiritu S. in hac adoratione inſtructionem. *Attende quid obtulerunt, agnoſce quid crediderunt*, inquit S. Fulgentius. Licet enim morem ſuæ gentis obſervent (mos utiq; Orientalibus erat cum muneribus Reges ſuos adorare, Arabes autem auro, thure, mirrha abundant) tamen & in his ſpecialibus donis Spiritus ſanctus myſteria Chriſti deſignabat, ut omnes S. Patres interpretantur. Nam Aurum Regi congruit; Thus in Dei ſacrificium ponitur. Myrrha mortuorum corpora condiuntur. Aurum ergo ei offerunt, quaſi Regi magno Thus quaſi Deo vero, Mirrham quaſi homini pro omnium ſalute morituro. Neque etiam ſine myſterio eſt numerus trinus munerum, ſicut nec numerus trinus offerentium. Tres enim viri illuſtres ſecuti divini luminis ductum tria obtulerunt munera, & ut aliquorum eſt opinio, ſinguli tria, quia ſinguli agnoſcebant in Chriſto regiam dignitatem divinã majeſtatem, corporis aſſumpti mortalitatem: Sed etiam hoc indicabatur, quod venerint in nomine Trinitatis, ad fidem Trinitatis. Et ut ait Rup. l. 2. in Mat. *Tres homines tribus partibus Orbis, Aſia, Africa, Europa, fidei confeſſionis, & adorationis exemplum meruerunt exiſtere.* Adde quod hi omnium gentium vices obirent, & ideò rectè tres deſignantur, tamquam nationes omnes ex tribus filijs Noe oriundas repræſentantes. Ad ejuſdem myſterij Trinitatis ſignificationem & glorificationem, tres ſpecialiter electi & dilecti à Deo nominantur ſacris in litteris, Abraham, Iſaac, & Jacob, quorum ſe Deum gloriatur. Similiter tres Pueri eliguntur, qui in flammis Babylonijs Trinitatem collaudent, invitatis ad eandem laudem omnibus creaturis. Sanct. Bernardus quoque, & alij, exiſtimant tres fuiſſe Paſtores adorantes Jesum ex parte Iſraelitarum, ſicut & tres Reges ex parte Gentium, ob myſterium ejusdem SS. Trinitatis. Sic & in Transfiguratione tres fuere ſpecialiter electi teſtes. Sic & in Reſurrectione tres ſpecialiter eliguntur mulieres Tres igitur hi cum tribus muneribus ab Oriente vocati, velut tres novi Evangeliſtæ, & Trinitatis præcones, ad propria ſunt remiſſi; & vitam finientes eodem ſepulcro ſunt conditi, ut infra dicetur, expectantes beatiſſimæ Trinitatis æternam viſionem & divinitatis fruitionem, quam primi inter Gentes in Chriſto agnoverunt, adorarunt, glorificarunt.

*Tres Viri tria munera offerunt;*

*Not. ternarium numerum,*

Quapropter ex tunc incepit compleri per eos illud Prophetæ: *Afferte Domino Patriæ Gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus.* Ubi ter nomen Domini repetitur, ad indicandum myſterium Trinitatis. Poſtea additur, *Adorate Dominum in atrio ſancto ejus, commoveatur à facie ejus univerſa terra. dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.* Quid eſt Bethleemitica ſpelunca, niſi quoddam atrium in quo Chriſtus vult adorari, in templo æterno poſtmodum adorãdus. Ibi ſua munera depromunt Magi, tamquam oblationes & hoſtias laudis. Et dum huc adoraturi accedunt, commovetur univerſa terra; Commovetur Oriens, à quo recedunt magno comitatu ad videndum faciem Pueri deſignati per ſtellam: commovetur Occidens ad quem accedunt, dum turbatur Jeroſolyma. Ad propria quoque clam revertentes, majorem Herodi commotionem pariunt, quærenti faciem pueri ad perdendum: Denique reverſi multos commovent novo nuncio, novi & ignoti Dei, *Dicentes in Gentibus, quia Dominus regnavit à ligno*. (ſic ibi legunt antiqui Patres: Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus & alij) Utique regnum ſuum inchoavit à ligno præſepij, conſummaturus in ligno ſupplicij: cum Regem proclamarunt Magi in præſepio, cum Regem agnoſcent omnes Gentes in Crucis ligno, quod etiam publicat ejus ſuperſcriptio.

*Pſal. 95.*

Quoniam verò nos in his Magis tamquam primitijs gentium deſignati ſumus, qui ex Gentilibus ortum habemus; ideo & nobis hodie inclamat puer in matris gremio, vel in vili jacens præſepio. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.* Et nos cum gaudio & gratiarum actione reſpondeamus: *Dominus virtutum nobiscum ſuſceptor noſter Deus Iacob.* Quid eſt, vacate & videte quoniam ego ſum Deus? Idem ac ſi nobis diceret; Relinquite ſæculi ad tempus interpellantia & interturbantia vos negotia, ſuperfluas dimittite curas, aperite oculos mentis & cordis, oculos fidei, ut me in infantia Deum agnoſcatis, adoretis, adametis pro vobis ſic humiliatum. Angeli dimiſerunt cælum, Paſtores gregem, Regis ſceptrum & regnum, ut hic me adorarent; & vos eorum prævio exemplo invitati huc accedite, vacate, videte adorantes, adorate vacantes. Utique ego ſum Deus, & licet aliud præſepe

*Pſal. 45.*

indi-

indicare videatur, cœli id clamant; licet ſtabulum & fœnum id abſconditum reddat, ſtella & Reges id fatentur. Licet non niſi vagire poſſe videar & neſcire loqui, ego ſum ſapientia & verbum. Licet oculi non videantur apti niſi ad lacrymas & fletum, tamen ego ſum Deus, & oculis ſole lucidioribus cordis veſtri abſcondita perſpicio, & quæcumque de vobis tota erunt æternitate pernoſco. Licet manus videantur colligatæ, videre tamen quia ego ſum Deus omnipotens, formans cœlum, & tribus digitis appendens molem terræ. Licet videar faſciis involutus, vacate & videte quia ego ſum Deus, cœlum & terram & mare quaſi faſciis involvens. Licet jaceam in fœno, tamen ego ſum Deus, cœlum habens pro throno; licet pendeam lactens ab ubere materno, ego tamen Angelos & omnes creaturas paſco. Licet infans ſim tredecim dierum, vacate & videte, quia ante Luciferum ſum genitus in ſplendoribus Sanctorum. Licet mortalis videar, omnibus tamen vitam dono. Licet circumciſus ſim, quaſi infans natus cum peccato, Iſai. 43. ego ſum Deus qui omnes ſalvo; *Ego ſum ego ſum qui deleo iniquitates tuas, & abſque me non eſt ſalvator*, Pſal. 45. Ita eſt, ô Domine JESU, tu es *Dominus virtutum, ſuſceptor noſter Deus Iacob*. Tu es Emmanuel, Nobiſcum Deus, Suſceptor noſter, ſuſcipiens carnem noſtram, ſuſcipiens nos in tempore, ſuſcipiens in æternitate, ſuſcipiens per gratiam, ſuſcipiens per gloriam. Tu es Deus virtutum, Deus es exercituum; Militia cœli, quæ eſt multitudo ſtellarum, te adorat: Militia cœli, quæ eſt multitudo Angelorum te glorificat. Tu es Deus virtutum, Deus exercituum, te benedicit & adorat innumerus exercitus Martyrum, Virginum, Sanctorum: Tu es Deus virtutum, omnis virtus, omnis gratia omne donum à te in nos promanat. Tu dignus verè es exaltari in gentibus, adorari & benedici ab omnibus nationibus, & Regibus. Tu dignus es exaltari in terra, in præſepio, in fœno, in ſinu materno: da igitur nobis ut dignè te cum Regibus & Magis ſic adoremus & exaltemus in terra, hoc brevis vitæ noſtræ tempore; ut nos exaltes tandem in cœlo, & te Regem noſtrum videamus in æternitate.

LECT. 15. tripart.

## DE EODEM FESTO.

*Magnificatus eſt Rex pacificus ſuper Reges univerſa terra.* 3. Reg. 10.

PARS I. *Cur Chriſtus pacificus Rex dicatur.* *Ioan.* 17. *Ioan.* 12.

CHriſtus Dominus aliquoties legitur in fine vitæ periiſſe à Patre, *Pater clarifica Filium tuum, ut & Filius tuus clarificet te.* Et reſponſum accepit per vocem è cœlo. *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Quid eſt clarificare Filium, niſi ejus majeſtatem, poteſtatem, gloriam manifeſtare? Clarificaturus ergo erat eum Pater in Reſurrectione, quaſi ſolem novi ſplendoris ex ſepulchri occiduis tenebris educendo, & omnibus ejus gloriam manifeſtam faciendo. Unde Chriſtus rectè Synagogam hiſce Prophetæ verbis alloqui introducitur: *Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi conſurgam, cum ſedero in tenebris, Dominus lux mea educet me in lucem, videbo juſtitiam ejus.* *Mich.* 7. Clarificaturus etiam eum erat glorioſa aſcenſione in conſpectu hominum, & jubilo Angelorum. Denique eum clarificaturus erat Apoſtolorum in univerſum orbem miſſione, qui ejus nomen & gloriam annunciaturi erant omnibus gentibus, omnibuſque Regibus & Principibus intrepidè manifeſtaturi.

*Quomodo Chriſtus à Patre clarificatus.*

Sed Pater non ſolum voce cœleſti reſpondet ſe clarificaturum filium: immo addit ſe eum jam glorificaſſe. Et hoc verum eſt, quia tam initio ætatis ejus, quam initio & fine prædicationis, eum ut filium cœlitus declaravit, ejuſque gloriam manifeſtavit. Propterea dicit: *Vidimus gloriam ejus, gloriam, quaſi Unigeniti à Patre.* *Ioan.* 1. An non gloria ejus manifeſtata fuit, tum in Baptiſmo, tum in Transfiguratione, hac magnifica voce: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite*? *Ibid.* Numquid gloria ejus quaſi Unigeniti à Patre patuit, Angelis ſuper eum aſcendentibus & deſcendentibus. Numquid manifeſta fuit in tot miraculis, quaſi tot divinitatis radiis per nubem carnis promicantibus? Et hæc quidem, tum in exordio, tum in fine prædicationis, ejus gloriam palam publicarunt. Sed nec in infantia defuit ei clarificatio à Patre, tum in ipſo Nativitatis die, claritate cœleſti Angelos & Paſtores circumfulgente, & ad cunas ejus eos deducente? tum maximè in hodierna luce adorationis Regum, quæ per excellentiam *Epiphania* ſive manifeſtationis dies nuncupatur; quia cœleſti ſplendore Pater Filii ſui gloriam publicavit, eumque publico cultu à Regibus Orientis, nomine totius Orbis, agnoſci & adorari voluit. Merito ergo vox cœleſtis dixit: *Et clarificabo, & clarificavi.* Merito & nos cœleſti noſtro Rege in cunis adhuc jacente accinimus; *Rex Pacificus magnificatus eſt ſuper omnes Reges univerſa terra.*

*Salomonis magnificentia.* 3. Reg. 10.

Hæc verba primò de Salomone pronuntiata ſunt, de quo dicitur: *Magnificatus eſt Rex Salomon ſuper Reges univerſa terra divitiis & ſapientia, & univerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, ut audiret ſapientiã ejus, quam dederat Deus in corde ejus. Et ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea & aurea, veſtes & arma bellica, aromata quoque & equos, & mulos per annos ſingulos* Vides magnificentiã & gloriam Salomonis? Sed quia ipſe typum gerebat Chriſti pacifici Regis noſtri; ideo Eccleſia id de Chriſto canit à Spiritu ſancto edocta, quod de Salomone Scriptura ſacra expreſſit. Et hodiernæ quidem feſtivitati mihi optime verba iſta viſa ſunt congruere; cum à finibus terræ ad eum adorandum & ei munera offerendum Reges veniunt In quo etiam die illud ad animas fideles meritò dirigimus: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem veſtrum in diademate quo coronavit eũ mater ſua.* *Cant.* 3. Videte

dete

dete eum in diademate mortalitatis, quo MARIA eum coronavit; videte Regem pacificum hodie magnificatum, cujus vultum deſiderat univerſa terra. Sed expendamus hujus ſententiæ ſingula verba.

*Chriſtus Rex pacificus.*

Primò recte Chriſtus hoc titulo gratiæ deſignatur, *Rex Pacificus.* Et quidem licet infans jaceat in ſtabulo & præſepio, pauperatis cinctus anguſtiis, tamen verè ibi Rex eſt, Rex ille de quo Reges inquirunt: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Rex ergo eſt & quidem *Rex natus,* non ab hominibus electus, non à principibus nominatus; ſed à patre unctus à matre coronatus, coronam jam ex utero geſtans Nec ſolum Rex, ſed Pacificus Rex nominatur; hoc enim eſt nomen ei à patre inditum, *Princeps pacis.* Quapropter in ejus nativitate pacem nuntiāt Angeli & tractatum pacis inter Deum & homines jam ſignat lachrymis, poſtmodum ſanguine ſignaturus. Unde de eo dicit Apoſtolus: *Pacificans per ſanguinem ſuum ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt.* Nec Noe, aut Daniel, aut Job, hanc cum Deo pacem nomine totius orbis potuerūt inire, de quibus dicitur: *Si fuerint tres viri iſti in medio ejus, nec filios nec filias liberabunt.* Hi fuerant magni interceſſores & pacificatores apud Deum; quia Noe poſt diluvium obtulit gratum Deo ſacrificium; Job pro amicis impetravit gratiam; Daniel in captivitate Babylonis pro populo oravit: interim non fuere ſufficientes ad illam pacificationem generalem, & redemptionem orbis. *Non eſt qui valeat manū ſuā ponere in ambobus* quaſi in ſymbolum pacis & fœderis, niſi Rex iſte pacificus & pacificans, in cujus ortu pax nuntiatur in terris, ſicut & gloria in cœlis. Etenim nulla amplius diſſenſio erat in cœlis, expulſo illo qui ab initio bella ibi ſuſcitarat, tertiam partem ſtellarum cauda ſua ſive prava ſuggeſtione & conſilio involvens, & ſecum in abyſſum trahens; & ideo in cœlis gloria decantatur. At quia è terris ille diſſenſionis omnis auctor, illam ſecum abduxerat, bellum ferens in paradiſo inter Deum & hominem inter Angelum & hominem qui inde ab Angelo ejectus fuit, inter carnem & ſpiritum ac poſtmodum etiam in mundo inter hominem & hominem, inter fratrem & fratrem, patrem & filiū, inter eos qui ſtrictiſſimo fœderis vinculo à natura jūcti ſunt; hinc in orto hujus infantis, qui integram ubique pacem ſancire venit, pax nuntianda fuit per Angelos pacis.

*Coloſſ. 1.* *Ezec. 14* *Iob. 9.*

Quid ergo turbaris Herodes, & bella cies? Ecce Rex pacificus & princeps pacis venit, qui naſcens eam attulit, vivens prædicavit, moriens legavit, reſuſcitans donavit, & per ſuos legatos in finem uſq; ſæculi nunciari præcepit; quid fremis? Sed non eſt pax nuntiata niſi hominibus bonæ voluntatis. Talis non erat Herodes, qui toto regni decurſu manifeſta ſigna edidit ſummæ crudelitatis, & peſſimæ voluntatis. Quia ſi antiquis Scriptoribus credimus; Hircanum Regem ſimul & Sacerdotem interfecit ut regno potiretur; Phetonam fratrem & Egeſippum cognatum interemit: uxorem Mariam ne ob levem ſuſpicionem decollavit: Ariſtobulum & Alexandrum filios neci dedit. Unde de illo ſic poſteritati conſignatum lego: *Herodes Aſcalonita, vultu ferus, animo barbarus, luto & ſanguine maceratus, à quo nihil ad ſummam crudelitatem præter Deicidiū abfuit, Deicidio voluntas non defuit, Vulpina fraude regnum Iudææ invaſit regnavit iræ ſervus, juris Dominus, fortuna felix, Cyclopica vita infeliciſſimus. Deſiit cœleſti plaga, feralis morbi, anno regni triceſimo ſeptimo, vitæ fermè ſeptuageſimo, Chriſti octavo.* Quia ergo non eſt pax impiis, dicit Dominus, ideo conturbatur Herodes: & omnes Jeroſolymis conturbat; ac poſtmodum cuncta ſanguine commiſcet in Bethleem, ob adventum illius qui Rex eſt pacificus & Princeps pacis.

*V. Ioſeph l. 4. 15. 16. 17. antiq*

*Herodis deſcriptio*

*Quomodo Chriſtus Rex magnificatus in ortu ſuo.*

Sed quomodo dicitur magnificatus in ortu ſuo Rex hic pacificus, cum nec vilior nativitas nec magis indigna Rege poſſit reperiri? An nō inter ſordes ſtabuli naſcitur, & inter fætorem animalium in vili præſepio reclinatur? Quid vilius? An non jacet in fœno, ab omnibus reprobatus, quia non eſt ei locus in diverſorio; Quid abjectius? An non frigore agit & nuditate, & vix pannos viles habet in hac nativitate? Quid miſerius? Quis ſimilem eligeret naſcendi modum, aut quæ ibi magnificentia regia? An forte ſtabulum pro palatio, præſepium pro throno; panni viles pro purpura, araneorum texturæ, pro periſtromatibus & tapetibus, Bos & Aſinus pro comitatu regio reputantur? Utique, ſi hæc oculis ſpectentur humanis, nihil hic auguſtum reperietur, ſed omnia vilia & abjecta. Sed ſi oculos fidei adhibeamus, omnia hic ſunt magnifica, & myſteriis cœleſtibus plena: ita ut hic merito pronuncietur puer iſte magnificatus ſuper Reges univerſæ terræ.

*Magnificentia Chriſti ex parte matris.*

Ac inprimis ex parte matris ejus, quæ vilis exterius cenſetur & paupercula, multa magnificentia cernitur, dum virgo & mater eſſe reperitur. Ab illa velut ſplendor rutilans egreſſus eſt hic filius magnificentiſſime, nihil eam ſordidans, nihil ejus puritatem & virginitatem minuens, ſed eam conſecrans & in æternum ſpectabilem reddens. An alicui Regnum conceſſum eſt, ut è matre incorrupta & virgine naſceretur? Certe, dum Reges naſcuntur, ſimilem aliis è matris utero exitum, vilitate, miſeria, & ſordibus plenum nanciſcuntur. Reginæ Reges parientes anguſtias patiuntur & acerrimos dolores, immo & quandoque regio ſuo partu enecantur; nam & qui Cæſares dicti ſunt, à cæſo ventre matris primitus hoc nomen ſortiti ſunt. Ergo hæc noſtri Regis pacifici prærogativa ſingularis & magnifica eſt, nullum matri afferre dolorem, & virginei pudoris haud temerare integritatem. Ideo apud Ezechielem mater hæc deſignata eſt in porta illa magnifica & ſplendida, de qua dicitur: *Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, vir non pertranſibit per eam, quoniam Dominus Deus ingreſſus eſt per eam, eritq; clauſa Principi:* Hoc eſt, in honorē ipſius Principis

*Ezec. 44.*

pis erit clauſa, etiam cum Princeps pertranſibit per eam: ideoque vocabitur, *Porta Principis.* Itaque magnificatus eſt Rex noſter ex parte matris ſuæ de Spiritu S. fœcundæ, de cœlo virgineo lacte plenæ, quam magnificabunt & beatam dicent omnes generationes, quia fecit ei magna qui potens eſt.

*Chriſtus magnificus & pacificus in cunis. Præſepe Chriſti adhuc incorruptum.*

Ulterius, ſi ejus cunas, pannos, faſcias, oculis fidei attentè intuearis, reperies hæc non eſſe vilia; ſed regia omnia cunabula, auroque & purpura intextos lectulos magnificentia ſua ſuperare. Regum cunæ tandem putrefactæ in vilem abeunt pulverem: Præſepe Chriſti, quod ei pro cunabulis cœlitus ordinatū erat, incorruptum in Romana Eccleſia in Templo S. MARIÆ Majoris aſſervatur; quaſi immortalitatem quandam à Rege ſæculorum immortali in eo decumbente participaſſet. Nonne à Regibus & Principibus in genua procumbentibus maxima illud religione colitur? Ergo magnificatus eſt Rex pacificus, etiam in vilibus his cunis, myſteria interim multa continentibus, ita ut inclamare liceat: O fœlix præſepe! O beatæ divini infantis cunæ! O Regis pacifici thronus magnificus! O Ara prima ſummi Sacerdotis! O cathedra ſublimis cœleſtis Doctoris & Præceptoris! O Sponſi æterni floridus lectulus! *O Bethleem parvula, quam magnificata es à Domino, qui factus eſt in te parvus ex magno! Quæ civitas tibi non invideat pretioſum illud ſtabulum, & præſepii gloriam? In univerſa ſiquidem terra jam celebre eſt nomen tuum, ubique glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei, quia homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam altiſſimus.* Ita S. Bernardus. Tanta fuit hujus præſepii gloria, teſte S. Hieron. ut, *ex omni terrarum orbe ad illud accurreret innumerabilis multitudo: ita ut nemo ſapientiæ aut ſanctitatis opinione celebris ejus viſendi deſiderio non flagraret. Hæc eſt igitur magnificentia Regis pacifici in cunis ſuis.*

*Panniculi Chriſti vincula amoris fidelium. Extat hæc oratio apud Metaphraſt.*

Denique, ſi faſciolas & panniculos conſideres quibus involvitur, omnibus ſunt purpuris pretioſiores. *Divitiæ noſtræ ſunt*, inquit S. Bernardus: Vincula ſunt amoris, & funiculi Adam, quibus fideles ad ſe trahit, & corda noſtra ſibi colligat. Tantò verò ſunt in honore habitæ faſciolæ, ut templum ſpeciale erectum ſit in honorem earum, & zonæ Virginis matris Conſtantinopoli dedicatum à B. Germano Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui & tunc Orationem habuit in laudem Virginis & pueri JESU. Quinimò adhuc modò panniculorum & faſciarum partes aſſervantur cum celebritate quibuſdam in Eccleſiis. Certè Eccleſia Trevirenſis, Eccleſia S. Amati Duacenſis, Eccleſia B. MARIÆ Floreffienſis, Eccleſia Lætienſis, gloriantur in particulis quibuſdam horum anniculorum infantiæ Domini JESU & pretioſè eas aſſervant. Itaque & in his magnificatus fuit, & hodie adhuc magnificatur, Rex pacificus.

PARS II.

*Quomodo Chriſtus ſpecialiter magnificatus à Regib. his*

SEd his omnibus ſilentio prætermiſſis, an non hodie magnificatus eſt ſuper Reges univerſæ terræ, dum ab Oriente tres veniunt Reges; & ſeſe ad pedes ejus abjiciunt humillimè adorantes? Nūquid Salomon, aut alius quiſpiam Regum Judæorum, vel Gentium, quæſitus eſt in cunis, & a Regibus adoratus? Immo numquid Herodem in regio throno Hieroſolymis ſedentem ſimili adoratione adorarunt, ſimilibuſque muneribus honorarunt? Magnificatus fuit Rex Salomon, cum Regina Saba de longinquo ad eum venit cum muneribus, ejus ſapientiam fama ſibi nunciatam præſens exploratura. Sed longè amplius hic puerulus, dum ſtella duce hi tres Sapientes & Reges magno comitatu adveniunt, & myſtica dona adducunt. Quam magnificentiam longe ante prædixerant oracula Prophetarum: ita ut Iſaias prophetico lumine hoc intuens proclamet: *Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madiam & Ephra. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes; & laudem Domino annunciantes.* Eandem magnificentiam eodem lumine Prophetico prænunciarat David. *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Licet enim hæc & ſimilia oracula generaliter Gentium & Regum Gentilium cōverſionem ad Chriſtum & Eccleſiam ſignificent: tamen etiam in particulari initium & primitias magnificas converſionis illius deſignant, ut docēt SS. Patres. Et talis eſt etiam Eccleſiæ ſenſus, in officio divino huc ea referentis. Unde S. Hieronymus in Pſal, 71. dicit *In Magorum muneribus inchoatū fuit, quod ibi à Propheta eſt prædictum; quia ipſi Gentium Regumq; typus fuiſſe monſtrātur.* In hoc ergo hujuſce Regis adhuc infantis gloria & magnificentia demonſtratur, quod Regum omnium vice adoraturi advolarint, & ſuo exemplo docuerint omnes. Reges ad ejus pedes ſua ſubſternere ſceptra; Principes ſua diademata; Magnates purpuram ſuam & dignitatis ſtemmata; Heroes ſua arma bellica; Duces militiæ ſua vexilla; magiſtratus faſces & honorum ſymbola; Pontifices Tiaras ſuas & Paſtoralia ornamenta; Sapientes togam ſuam & ſapientiæ inſignia; Divites ſuas opes & auri pretioſa munera; Pauperes ſuæ paupertatis, amaræ inſtar myrrhæ, haud ab eo rejicienda munuſcula denique omnes pietatis ſectatores, odoriferi thuris grana. Ad eorum imitationem 24. Seniores in Apocalypſi deſcribuntur ad pedes Agni non ſolum ſeipſos proſternere, ſed etiam coronas ſuas, & magna voce dicere: *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Quem illi agno jam occiſo honorem & adorationem offerunt procidentes coram throno ſuo cœleſti; eandem eidem agno recenter genito deferunt hi Reges procidentes coram throno ſuo terreſtri. Quis alius hic thronus, quam Virginis ſinus in quo ſedebat Agnus? *Invenerunt Puerum cum* MARIA *matre ejus.* Aptiſſimè

*3. Reg. 10*

*Iſai. 60.*

*Pſal. 71.*

*Apoc. 4. & 5.*

*Chriſtus Agnus.*

ſimè vero agnum nominaveris, tum quia in ſtabulo & ovili reperitur; tum quia pro nobis factus eſt puer & infans, pueros autem agnos vocamus. Unde S. Clemens Alex. l. 1. pedag. c 5. *Quoniam ſcriptura pueros Agnos & infantes vocat, Deum qui eſt Verbum, qui pro nobis homo factus eſt & nobis in omnibus aſſimulari voluit, vocavit Agnum Dei, Filiū Dei, Infantem Patris.* Huic ergo infanti & agno dū offerunt aurum, thus & myrrham, quid aliud inſonare cenſentur, quam quod dignus ſit accipere divinitatem & ſapientiam, & virtutem & fortitudinem, & gloriam & benedictionem? Utique in his tribus munerib. hæc omnia myſticè deſignantur; & ita magnificatus eſt Rex noſter pacificus, non ſolū quod viri ſapientia & poteſtate regia illuſtres acceſſerint adoraturi; ſed etiam quod talia obtulerint munera, quæ magnificentiam ejus & gloriā declararent. Aurum enim obtulerunt ut Regi: nam aurum ſubditi regibus pendunt, Thus ut Deo, illud enim Deo ſolet adoleri, Myrrham ut morituro, ſed in corruptionem ſervaturo. Nam Judæi myrrha mortuos ſepeliunt, ut corpus maneat incorruptū, myrrha enim cum ſicca ſit, arefacit, & exſiccat humiditatem, & nō ſinit innaſci vermes. Unde S. Ambroſius ſignificatā vult corporis Chriſti in ſepulchro jacentis incorruptionem. *Aurum*, inquit, *Regis eſt inſigne, Thus divinæ Sacramentum poteſtatis, Myrrha honor eſt ſepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui, ſed reſervat.* S. Cyprianus in thure etiam Chriſti ſacerdotium deſignatum putat, unde ait: *In auro Regem, in thure Sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, licet paſſibilem confitentur.* Hoc etiam Eccleſia in officio Epiphaniæ approbat. Addit S. Maximus hom. 3. in auro noſtram redemptionem, in thure Chriſtianam religionem, in myrrha reſurrectionem deſignari; ſic enim ait: *Auro oſtenditur captivitatis noſtræ pretioſa redemptio, in thure dæmoniorum ceſſatura ſuperſtitio, & futurus veræ religionis cultus aperitur in myrrha quæ exanima ſolēt corpora conſervari, præfiguratur carnis noſtræ reparatio, & mortuorum reſurrectio.* Hæc vero omnia ex ſpeciali fide & ſpeciali ſpiritus inſtinctu ac lumine agnoviſſe, myſticisque his muneribus intēdiſſe profiteri Patrum communis eſt ſententia. Quod ſic exprimit Sanctus Leo: *Divinam humanamq; naturā in unitate venerantes, quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur.* Atque dubium eſſe nequit, quin ſpiritus directione ſpeciali omnia peregerint; quādoquidē etiam tantæ poſt adorationem curæ fuerint Deo, ut dignatus ſit eis in ſomno reſponſum dare, ne ad Herodem redirent, ſed per aliam viam reverterentur in regionem ſuam.

*Munera Magnorum.*

*Cypr. ſer. de Magis.*

*Ser. 1. de Epiph.*

*Magnificentia Chriſti, cæterorū Regum ſuperat. 1.*

Itaque magnificentia Regis noſtri pacifici ſuper omnes Reges ex multiplici, capite poteſt hic breviter demonſtrari. Primo ex magnifica illa ſtella ortū ejus deſignante, quæ cæteris clarior illuſtriorque erat ſideribus, quam regebat ipſe è cunis & præſepio. Immo S. Ambr. ſerm. 16. non ſolū ſtellam aſſerit exortam, ſed & ſolem ſolito citius feſtinaſſe in ortu ſuo ad ejus nativitatem illuſtrandam. *Cur*, inquit, *non credamus quod naſcente Chriſto ſol ad obſequiū lucidior advenerit, cum Magos ad indicium clarior ſtella præceſſerit? Et ſi ſtella per diem alieni temporis officiū miniſtravit, cur non credamus quod ſol quoque nocturnis horis aliquantum adventu maturiore decerpſerit? Ex eo denique factum puto, ut nox decreſceret, dum ſol feſtinus ob Dominicæ Nativitatis obſequium ante mundo lucem protulit, quam nox curſum ſui temporis conſummaret.* Hæc S. Ambr. Hoc ſaltem factum fuiſſe in ejus reſurrectione, aliqui ex antiquis Patribus docuerunt, ut alibi diximus. Secundò ex magnificentia eorum qui ſtellæ hujus luce illecti & adducti fuerunt ad eum adorandum in cunis; quos magna ſapientia & poteſtate regia præditos fuiſſe declaravimus. Solis retrogreſſio ad decem, lineas in gratiam Ezechiæ Regis (cui hoc ſignum dabatur ſanitatis) adduxit Legatos Babylonios ad eum viſendum cum muneribus: nam Babylonici aſtrologiæ periti hanc animadverterant retroceſſionem ſolis, & poſtmodum rumore nunciatum fuerat Regi, id cælitus factum in gratiam Ezechiæ Regis Iſrael. Sed hi licet Regem in palatio purpura coruſcum repererint, opibusq; omnibus circumfluum, & corona nobilium ſtipatum; non tamen dicuntur procidentes adoraſſe eum. At Reges noſtri ſtellæ novæ indicio invitati, ad Regem hunc pacificum accurrunt: & licet in vili tugurio infantem inveniant, vilibus tectum pannis, pauperis matris lac ſugentem, mox tamen procidentes adorant eum. Ergo magnificatus eſt ſuper Ezechiam, imo ſuper Reges univerſæ terræ. Tertiò ex magnificentia munerum, quæ licet ex ſe non videantur niſi munera provinciæ illius ex qua venerunt ſat ordinaria; tamen in ſignificatione myſtica, à Regibus & à Spiritu ſancto eos dirigente intenta, magnificentiſſima ſunt, & magnificentiam illius cui offeruntur oſtentant; ita ut nulli Regum terræ hac ratione competant. Adhuc hodie Lætienſe Monaſterium de iſto thure & myrrha regum aſſervat, per Theodorum totius Orientis Patriarcham, & Henricum Imperatorem anno 1208. eis Conſtantinopoli ſacrum munus datum, ut litteris authenticis ibidem oſtenditur.

Quartò ex magnificentia donorum cœleſtium, quæ reportarūt hi offerentes munera. Si enim munera obtulerunt, majora perceperunt; nec enim munificentiam ſuam vinci patitur hic Rex noſter, ſemper pretioſiora & auguſtiora donans quam ei offeramus. In figura hujus rei Regina Saba dicitur obtuliſſe Salomoni aurum, aromata, gemmasque pretioſas. Sed plura longè largit⁹ eſt Salom. de quo dicitur. *Rex Salomon dedit Reginæ Saba, cuncta quæ voluit, & quæ poſtulavit & multo plura quā attulerat ad eū.* Sic reges iſti exteriora & terrena offerentes; interiora, cœleſtia, & æterna munera retulerunt, copioſa ſcilicet dona gratiæ ſpiritualis, & virtutū cœleſtium. Utique nec alia expectabant, qui

*2. Par. 9.*

non acceſſerant ſpe alicujus præmii temporalis, nec ut humanam gratiam Regis hujus vel parentum ejus aucuparentur; quia nec gratiam hanc ab infante, vel à paupere matre, congruum erat expectare.

Quintò, etiam ejus magnificentia pateſcit, ex turbatione inimicorum ſuorum; nam per hos pateſcit cœleſtis ejus dignitas: *Cœli Rege nato Rex terræ turbatus eſt, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum celſitudo cœleſtis aperitur*, inquit S. Gregorius. Deinde, quia per id judiciaria ejus poteſtas deſignabatur, dicente S. Auguſtino: *Quid erit tribunal judicantis, ſi ſuperbos Reges cuna terrebat infantis?* Ulterius per id deſignabatur dejectio regni diaboli quia non tantum Herodes in ſeipſo turbabatur, quantum diabolus in Herode: uterque regni ſucceſſorem timebat, ſed Herodes terreſtrem, diabolus cœleſtem. Denique, quod propter eũ infantes occiduntur, etiam in magnificentiæ ejus teſtimonium cedit; nam mittit infantes infans Chriſtus ad cœlum, nova xenia patri primitias fructuum terræ exhibet Genitori, Nec eis tantum pro fuiſſe poſſet Herodes obſequio, quantum profuit odio; quãdoquidem per illud Rex hic pacificus eos deſtinat ad coronam & regnum. *Abſit, ut ad liberandos homines Chriſtus veniens, de illorum præmio qui pro eo interficientur nihil egerit, qui pendens in ligno pro illis à quibus interficiebatur oravit*, inquit S. Auguſt. ſerm. 13. de Epiph.

*De morte Regum adorantium.*

Poſtremo addamus, hos Reges magnificaſſe Regem noſtrum Pacificum non ſolum in adoratione iſta ſed & tota poſtmodum vita; immò in morte, & poſt mortem, In vita quidem, quia ut dicit S. Chryſoſt. hom. 16. in Matth. Chriſtum alloquens: *Adventu tuo Magos ab Oriente vocaſti, & Evangeliſtas eos ad ſua remiſiſti.* Certè eis conveniebat illud dicere: *Hæc dies boni nuncii eſt, ſi tacuerimus, ſceleris arguemur.* Itaque Domini gloriam tres hi teſtes irrefragabiles mox ad ſua reverſi annuntiarunt, quã ſtellæ indicio & Spiritus ſancti inſtructione didicerãt. Et ſi de Paſtoribus dicitur; *Reverſi ſunt glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant*; quanto magis id de ipſis verum erit, qui gaviſi fuerant gaudio magno valdè, deſiderantes videre eum cujus vultum deſiderat univerſa terra, cujus nomẽ eſt, *Deſideratus cunctis Gentibus.* Unde notat Rupertus l. 2. in Matth. in adoratione magorum majorem perfectionem præſignificatam fuiſſe gentium, quam Judæorum. Paſtores enim Judæi, & ab Angelo inſtructi, non adeo ſunt eruditi ut procidentes adorarent, aut munera offerrent: ſed tantum dicitur de eis: *Venerunt & cognoverunt de verbo quod dictum illis erat.* Magi vero primitiæ gentium, *& venerunt, & procidentes adoraverunt, & munera obtulerunt*, quibus & magnam fidem, & magnam myſteriorum Chriſti notitiam proteſtati ſunt; quam abſque dubio mox in alios transfundere poſſe gaviſi ſunt. Traditio quoque eſt, per reſurrectionem Domini, cum S. Thomas in eorum veniſſet provinciam, ab eo baptizatos & ordinatos prædicationis ejus fuiſſe adjutores. In morte autẽ eos Chriſtum glorificaſſe per martyrium, tradunt aliqui; verumtamen Breviarium Colonienſe, ubi horum corpora miraculis poſt mortem adhuc Regem noſtrum pacificum magnificant, aliter tradit.

*Magi in vita & morte Chriſtum adorarũt.*

*4. Reg. 7.*

*Luc. 2.*

*Magi miraculosè ſimul in eodem ſepulti ſepulchro.*

In eo ſic legitur in Feſto obitus tertii Regis, quod obſervant undecimo Januar. ſanctis Magis invitatis ad cœleſtes delicias, inſtabat Nativitatis Domini feſtum, quod ſolemniter celebrarunt per totum tempus in oratione pervigiles. Adveniente octava, primus natu Melchior Miſſæ ſacrificio peracto obdormiens in Domino, ad regnum cœleſte tranſiit. Corpus ejus alii duo ſepelierunt, & aromatibus condierunt in marmoreo ſepulchro ipſis tribus in ſepulturam præparato. Sexto primi menſis die, h. e. in Feſto Apparitionis, ſecundus Balthaſar peracto etiam ſacrificio ſanctam, reddidit animam; quem tertius etiam honorificè ſepelivit. Cur igitur is in ſepulchro foret locãdus, primus antea ibidem poſitus, quaſi vivens in una parte monumenti ſe collocans; locum dedit ſocio, vidente & admirante populo, Tertius Gaſpar ſexto Epiphaniæ die, etiam peracto ſacrificio, gratias agens Domino, in manus Angelorum tradidit ſpiritum. Pontifices autem provinciæ convenientes cum Sacerdotibus ſolemniter exequias celebrarunt: ſed qua parte ſepulchri apponerent tractabant inter ſe: & ecce videntibus cunctis unus duorum ad unam partem ſe poſuit & alter alteram tenuit & ſicut viventes, dilectum ſocium ſuſceperunt in medium. Hæc ibi.

Videri poſſint hæc alicui Apocrypha; ego tamen Breviario tantæ Eccleſiæ Metropolitanæ in erudiſſima Univerſitate, multum deferendũ autumo, cum & ibi horũ Regum corpora honorari voluerit Deus. Nec diſſimilia quandoque contigiſſe in Sanctorum Hiſtoriis legimus. Audi de tribus Viris Illuſtribus & ſacris Epiſcopis Euchario, Valerio, Materno. Hi miſſi ſunt à P. Petro ad Gallias & Germaniam Evangelium nunciare. At poſt emenſa jã itinera longa, Maternus febre mortem obiit: hoc indolens ſocii ad Petrum regrediuntur, alium depoſcentes Evangelii ſocium: ille vero baculum mittens ſuum, jubet mortuo ſuperponi. Cumque ad corpus die quadrageſimo perveniſſent, ſuperpoſito baculo per 40. dies mortuus mox revixit, multis paganis hoc miraculo ad fidem converſis. Inde tres illi Trinitatis præcones zelo & charitate indiviſi deſtinatas ingrediũtur provincias, ac multis converſis populis, Sede apud Auguſtam Trevirorum fixa, primus eorũ Eucharius, poſt eum Valerius, deinde Maternus Eccleſiæ Trevirenſis Epiſcopatũ ſuſcepit, cui adjunxit Colonienſes & Tungrenſes populos. Cum verò ad ſummã pertigiſſet ſenectutem, illi triduo ante obitum in Eccleſia pernoctanti beati ſocii Eucharius & Valerius decora ſpecie apparentes, inſtantem ſibi ad Deum migrationem prænunciarunt. Quod convocatis die altera ſuis aperuit, & poſt monita ſalutis, cum ipſis

oratio-

orationem peregit. Poſtea voce cœlitus audita; moxque ſuſcepto Dominici corporis viatico, miraculis illuſtris expiravit 18. Kal. Octob. Coloniæ Agrippinæ. Sed mirabile, quod Rheni fluxu miraculosè ſurſum converſo, mox Colonia Treviros translatus eſt divinitus, ubi juxta ſanctorum ſociorum Eucharij & Valerij corpora quieſcit. Ita Breviar. Leodienſe 19. Septemb.

Mirabilis planè Deus in Sanctis ſuis, de eorum ortu, vita, morte, ſecreta providentia ſupra legem ordinariam ſæpe diſponens. Igitur hos tres ſanctiſſimæ Trinitatis præcones elegerat, quos ſicut prædicatione noluit ſeparari, aut ſede Epiſcopali; ſic nec poſtea ſede ſepulchri, ut qui in vita Chriſtum indiviſè animo & zelo dilexerant & glorificarant, etiam poſt mortem nec animis nec locis ſeparentur. Trinitatis fruitione conſimiles in cælis, ejuſdem honoris conſortes in terris. Simili modo de his tribus Regibus diſpoſuiſti videtur, ut qui unanimi conſenſu adoraturi venerant, & reverſi ad ſua Chriſti gloriam pari zelo propagarant, ſimili fine conſummarentur, eodemque tumulo conderentur: & poſtmodum eodem loco honorarentur in

*Tres Reges qualiter Coloniam translati ſint.*

terris; indiviſi in cœlis. Quod ſi quæras, unde illos Orientales, Occidentalis Colonia poſſideat? Audi quod iterum apud eoſdem Colonienſes legitur. Helena mater Conſtantini Regum corpora varijs in locis ſparſa Conſtantinopolim tranſtulit, fueruntque ibi uſque ad tempora Manuelis Imperatoris. Fuit vero eiſdem temporibus Euſtorgius Græcus, Religioſus & Nobilis, qui Legatus ab Imperatore miſſus fuit Mediolanum, à populo ibi electus Epiſcopus, Hic poſtea Conſtantinopolim regreſſus ab Imperatore impetravit corpora trium Regum, Mediolanumque tranſtulit. Anno autem 1165. cum Fredericus Imp. rebelles ſubjugaſſet Reinoldus Epiſc. Colonienſis ab eo obtinuit tres Reges, cum martyribus Fælice & Nabore, Coloniamque tranſtulit, omni clero & populo ſacra ſupplicatione occurrentibus, ac in Eccleſia S. Petri pignus hoc ſacrum depoſuit.

Illo autem loco ſpecialiter velle ſibi honorem deferri, confirmat miraculoſa translatio à Baptiſta Fulg, lib. 1. cap. 6. his verbis relata. Sicut Deos Penates ex Alba Longa Lavinium, unde abducti erant, revertiſſe credit vetuſtas: ita verius Otthonis & Philippi Imperatorum bello, Coloniam viſa ſunt redire trium Regum corpora, ab Abbatia Fuldenſi in Thuringia regione (*melius in Buchonia*) ad quã à Colonia fuerant translata. Mane enim cum nocturni pſalmi canerentur, Abbas Monachique illius Monaſterij egredi templo corpora ipſorum trium perſpexere Regum, quæ haud multo poſt Coloniæ in Templo, ubi antea erant, fuerunt inventa.

*PARS III. Quomodo nos:*

SIcut Reges ad Chriſti præſepium venerunt ſtella duce, ſic & nos interioris inſpirationis & illuſtrationis ductu ad Chriſtũ oportet venire, ut procidẽtes adoremus eũ, & munera ei offeramus cujus vultum deſiderat univerſa terra. Verè dixit Dominus: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Hoc impletum fuit in cruce, de qua loquebatur Dominus, in illa ut ſerpens exaltandus à Judæis. In hac exaltatus, cœlum, & terram; & inferos ac dura corda multorum ad ſe traxit, dum multi revertentes percutiunt pectora ſua dum elementa ejus lugent mortem, dum è limbo Patrum animæ redeunt ad corpora Chriſto reſurgenti conſocianda. Sed non ſolum in cruce, verum etiam in præſepio id ipſum ex parte impletum eſt, dum elevatus virgineis manibus è terra (in qua natus primum apparuit) & exaltatus in hoc præſepio, omnia cæpit trahere ad ſeipſum. Angelos enim trahit è cœleſti palatio, qui ei nomine totius aulæ cœleſtis honorem & homagium deferant, ſtellum trahit è cœlo, quæ nomine totius cæli ſiderei & aerei eum agnoſcat, & alijs adorandum manifeſtet. Paſtores trahit è Judæa, qui nomine totius Judaicæ gentis Regem ſuum regni ſui poſſeſſionem ineuntem ſuſcipiant. Ex Oriente trahit Magos, ut totius terræ nomine ab eis adoretur. Sic ergo vultum ejus deſiderat univerſa terra, immo cœlum, & elementa Sic myſticus iſte magnes paululum elevatus à terra ad ſe trahit omnia. Sic impletur quod de ipſo in perſona Jacob dictum fuerat; *Eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filij matris tuæ.* Sic puer jacens in præſepio, jacit funiculos Adam, funiculos amoris, vincla benignitatis & charitatis in Orientem uſque, quibus ad ſe trahat etiam infidelium corda. His iiſdem funiculis trahere nos debet ad ſe, ut procidamus coram eo, ut adoremus, ut dona offeramus, vultum illius requirentes amabilem, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Veruntamen, hic cum Propheta dicere poſſet quis. *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelſo? Numquid offeram ei holocautomata & vitulos anniculos? Numquid dabo primogenitum meum?* Offer aurum, thus, & myrrham, offert tria dona donis magorum non abſimilia: nec in Orientem penetrandum tibi eſt ut illa reperias, deſcende in te; prope ſunt in corde tuo, prope in ore tuo, prope in manu tua.

*Chriſtũ magnificare debeamus. Ioan. 12. Chriſtum natum cuncta adorarunt creatura.*

*Gen. 27.*

*Mich. 6.*

*Primo*, ſi animæ tuæ arcam ſcruteris, tria hæc reperies munera; eſt enim in ea intellectus, voluntas, memoria. Illa tria offert ei integrè: nec vacuus apparebis coram Domino, nec vacuus redibis ab eo. Offer intellectum tuum tamquam aurum pretioſum, per contemplationem rerum cæleſtium & divinarum. Offer voluntatem inſtar Thuris, per amorem æternorum. Offer memoriam inſtar Myrrhæ per rememorationem infantilium neceſſitatũ quas pro te pertulit, illis compatiendo cum amaritudine.

*1. Munera myſtica Deo offerenda, quæ?*

*Secundo*, ſcrutare tria pretioſa quæ poſuit in te dona, & illa offer, erunt acceptiſſima; hæc ſunt fides, ſpes, charitas. Offer fidem pretioſam inſtar

*2.*


auri

auri,ſpem odoriferam inſtar myrrhæ, charitatem ardentem inſtar thuris.

*Tertio*, offer tria munera pretioſa, cordis contritionem, oris confeſſionem, operis ſatisfactionem. Aurum eſt contritio. Quia ſicut radij ſolis terram penetrantes in ejus viſceribus aurum ingenerant, & de luto illud producunt: ita cæleſtes radij cor terrenum & impurum peccatoris penetrantes, in ejus intimis ex luto vitiorum aurum pretioſum educunt contritionis, quo nihil pretioſius Deo offerri poteſt, nec enim cor contritum poteſt deſpicere lachrymarum gemmis adornatum. Thus eſt peccatorum confeſſio ex corde ardenti procedens: & ſuavem odorem coram Domino producens: fumus ejus diſpellit omne genus dæmoniorum. Mirrha eſt mortificatio & ſatisfactio, ob amaritudinem naturaliter ei adjunctam: hanc myrrham tanquam pretioſam diſtillaverunt manus Sponſæ, ut Sponſo offerret, & partem ad offerendum nobis communicaret. Vade cum illa *ad montem myrrhæ, ad collem thuris*: non deerit tibi quod offeras & ibi decerpas, ſi manus aperire volueris.

*Cant. 4. & 5.*

*Quartò*, offer tria opera meritoria Eleemoſynã, Orationem, Jejunium. Eleëmoſyna illi placet inſtar auri: Oratio ſurſum aſcendit inſtar auri: Oratio ſurſum aſcendit inſtat Thuris incenſi: Jejunium acceptabile eſt inſtar Myrrhæ, quia animam præſervat á corruptione.

*Quinto*. pete mutuo ab electis Dei tria munera, quæ ei offeras. Offer ei charitatem ardẽtem Apoſtolorum tamquam aurum ignitum & pretioſum. Offer ei afflictiones omnes Martyrum & pœnitentium, tamqum myrrham electam & probatam. Offer devotionem & pietatem Virginum, tamquam Thus in conſpectu ejus odoratiſſimum.

*Vera Religioſorum munera Chriſti accepta.*

*Sextò*, offerat anima Religioſa, Obedientiam, Caſtitatem, Paupertatem. Hæc tria vota tria ſunt munera pretioſa, illique acceptiſſima ſunt ſuper aurum & topazion Hoc S. Franciſco quondam indicatum fuit á Domino. Cum enim in monte Alverno quodam die in contemplatione ageret, vidit B. Leo ejus familiaris flammam ſplendidam ad eũ de cælo deſcendentem: & ex illa vox quædam loquebatur ei; ipſe vero ter ad illam protendebat manum. Hujus rei cum poſtmodum exquireret inſtanter à S. Franciſco & B. Leo ſignificationem, noluit ei celare, quia ob puritatem & manſuetudinem plurimum eum diligebat. Dixit ergo Vir Sanctus, inter cætera Deum tunc ſibi locutum fuiſſe velut Moyſi è flamma rubi, & petijſſe ſibi oblationem trinam fieri. Cui reſpondi, inquit, *Domine ſum totus tuus, non habeo niſi tunicam & cordam, & tua ſunt quid potero offerre? Cælum & terra, ignis & aqua, tua ſunt omnia.* Tunc dixit mihi Dominus; Mitte manum in ſinum tuum, & quod invenies, offer. Et inveni monetam auream fulgidiſſimam, cui ſimilem numquam videram, & obtuli Deo. Dixitque, offer ſecundo, & tertio, quod in ſinu inveneris. Et dixi, *Domine non amo, nec volo aliquid præter te, aurum & omnia deſpexi ob amorem tui. Si ergo aliquid in ſinu meo eſt, tu poſui ſti illud, & reddo Dominatori omnium.* Ter ergo feci oblationem, & benedixi eum; & intellexi per tres aureos ſignificari obedientiam, caſtitatem, paupertatem, quas per gratiam ſuam dedit mihi Deus perfectè ſeverare; ipſe poſuit in ſinu meo, ut ei reddam, & eum honorificem.

*Bonav. c. 13.*

*Septimo*. Quilibet poteſt ei tria dona pretioſa offerre, ab ipſomet deprompta, & ut ea offeramus nobis conceſſa, Offer ei ipſiusmet Divinitatem, Corpus, Animam, quæ ipſe quotidie tibi donat, ut ei amoroſo corde reddas, & referas. Divinitas aurũ eſt electiſſimum, anima thus fragrantiſſimum, corpus inſtar myrrhæ eſt donum acceptiſſimum. Cum his ſacratiſſimis muneribus teipſum offer in ſacrificium.

*Octavo*. Offer tria dona, vitæ ſcilicet tuæ tempus præteritum, præſens, futurum. Offer tempus præteritum, per recogitationem, vel gratiarum áctionem. Offer præſens, per piam illius, in honorem Dei impenſionem. Offer futurum, per firmam nũquam peccandi reſolutionem. Si recogites annos præteritos cum amaritudine, invenies myrrham offerendam. Si impendas horam præſentem purè in honorem Dei, invenies Thus oblatione dignum. Si reſolvas omne etiam futurum tempus ei impendere, aurum erit acceptabile.

*Formula offerendi ſe Chriſto parvulo.*

ITa Domine Jeſu, in unione illius perfectiſſimæ donationis quam fecit nobis pater, te filium ſuũ unigenitum omnibus donans: in unione etiam illius oblationis quam feciſti patri recens natus, teipſum in hoſtiam vivam ei offerens: in unione quoque illius oblationis quam acceptiſſimam habuiſti factam à Magis te adorantibus: Offero & ego tibi hodie trium inſtar munerum, intellectum meum, voluntatem, memoriam, ut te cognoſcere, amare, frui in æternum valeam. Offero tibi omnes cogitationes, verba, opera totius mei temporis vel æternitatis, ut in illis perfectè glorificeris. Offero tibi fidem, ſpem, charitatem, tam meam quam omniũ electorum. Offero tibi zelum ardentem Apoſtolorum, patientiam Martyrum, puritatem Virginum, per quæ tibi laus ſit in ſæcula ſæculorum. Offero tibi obedientiam, paupertatem, continentiam, omnium Religionem profitentium, in honorem aſſumptæ à te pro nobis paupertatis, obedientiæ, humilitatis. Offero denique, quicquid pretioſiſſimum poſuiſti in ſinu noſtro, corpus, animam, divinitatem tuam: & cum his tribus donis meipſum totum offero titulo ſervitutis perpetuæ: te Regem meum agnoſcens, Deum meum, Redemptorem meum, pro me mortalem factum, ut immortalitate me donares. Hæc Domine JESU pro me, hæc pro omni plebe tua offero, & dona tua tibi refero, novis ut ſemper nos donis augeas; donec tandem triplici æternitatis munere nos indiviſibiliter tibi cõjungas, divinitatis ſcilicet tuæ æterna viſione, tentione, fruitione, tũc nobis licebit ſine intermiſſione

te

te ter ſanctum cum Angelis collaudare, & in ſpiritu ac veritate jugiter adorare.

Exempla.

HAs oblationes Chriſto offerre edocuit nos ſancta Gertrudis, à Deo prius ipſa edocta. Illa enim ſolemni Epiphaniæ Feſto, exemplo regalium oblationum offerebat Deo quaſi pro myrrha corpus Chriſti cum omnibus paſſionibus ſuis & meritis, quibus optabat apud Deum emendare omnia peccata hominum ab Adam uſque ad hominem noviſſimum; item pro thure animam ipſius devotiſſimam cum omnibus ſpiritualibus exercitiis, in ſuppletionem univerſalium negligentiarum; item pro auro ſuperexcellentiſſimam deitatem Chriſti cum delectatione fruitionis ejuſdem, in ſuppletionem defectuum omnium creaturarum. Tunc verò apparuit ei D. Jesus, eam oblationem inſtar digniſſimi Xenii ſanctiſſimæ Trinitati repræſentans. Viſaque eſt tota curia ob reverentiam totius oblationis, Chriſto eam deferente, velut procidere & adorare.

Alia vice dum eodem Feſto legeretur illud ex Evangelio, *Et procidentes adoraverunt eum, & obtulerunt ei munera*, memor perſonæ quæ ſæpe rogarat eam ut eo die Domino offerret aliquid pro ſe, requiſivit à Domino quid ſibi vellet offerri pro ea. Cui Dominus. *Offer mihi pedes ejus, manus, & cor.* Per pedes ſignavit deſideria; unde quia ferventer perſona illa deſiderat recompenſare mihi paſſionē meam, ſtudeat omnia gravamina ſuo cordi & corpori adverſantia patienter in unione paſſionis meæ tolerare, ad laudem & gloriam nominis mei, & totius Eccleſiæ utilitatem: & hoc pro myrrha electa acceptabo. Quia vero per manus ſignatur operatio, ſtudeat omnia tam corporalia quam ſpiritualia opera perficere in unione perfectiſſimorum operū ſanctiſſimæ humanitatis meæ: ſic nobilitata ſanctificabuntur, & pro immolatione thuris ſuaviter redolentis acceptabo. Similiter, quia per cor ſignatur voluntas; in omnibus agendis ſemper ab aliquo homine humiliter meam requirat voluntatem: & quicquid tunc ei conſultum fuerit licitum & honeſtum, ſuſcipiat pro meo beneplacito; idque pro puriſſimi auri oblatione acceptabo. Nam pro illa humilitate & confidentia qua meam voluntatem requirit ab alio, voluntas ipſius unita fiet divinæ voluntati meæ, ſicut ex auro & argento in igne conflato fit electrum pretioſum.

## DE FESTO PURIF. M. V.

***Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ.*** Luc. 2.

Lect. 16 *Quare M. V. ſe purificandam ſiſterit.*

SI illa quæ hodie in Templo Jeruſalem geſta ſunt oculo pietatis conſideremus, Maria procedente cum Jesu in ulnis, illumque inter brachia Simeonis & Annæ miro cum gaudio omnium juſtorum deponente: merito, ſi unquam, ei dicere poſſumus quod olim Angelus, quod Elizabeth à Spiritu ſancto edocta: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Mariæ nomen, inquit ſanctus Hieronymus idem eſt quod illuminatrix: Ecce implet nomen ſuum, lucem in ulnis ferens ad illuminationem gentium & gloriam plebis ſuæ Iſrael. Ave igitur Maria; gaudium tibi ſit ô illuminatrix noſtra: Sed quanto cum ſplendore; quanta cum pietate mulierum ſpecioſiſſima procedit? Verè gratia plena eſt in omnibus, in mente, in corpore, in inceſſu, in affectu: ita ut dicere liceat illud: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, ô Filia Principis;* Cant. 7. Quis vero procedit cum illa, niſi ille qui fuit novem menſibus in illa, & proceſſit ex illa; igitur Dominus tecum, ô Maria: innititur tibi: inniteris illi: aſcendis enim in templum innixa ſuper dilectum, ipſe te portat & ducit, licet tu illum ducere videaris & portare. Verè tu in mulieribus es benedicta quam hodie admirantur omnes mulieres, virgines, conjugatæ, viduæ. Etenim in templo ex parte totius ſexus muliebris Benedicit te Anne vidua pientiſſima, ſimilem edens vocem quam olim Elizabetha conjugata. Sed ideo eſt benedicta Maria, quia Benedictus Fructus Ventris quem portat, quem offert, qui poſtquam ipſam omnigena benedictione replevit, & jam eandem benedictionem in omnes per ipſam effundit. Hanc Simeon & Anna omneſque qui expectabant redemptionem Iſraël hodie participarunt; benedicentes Dominum, ab ipſo prius benedicti; lucem adventantem cum gaudio ſpectantes, ab ipſo interna luce præventi. *Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia. Lætamini juſti in Domino & confitemini memoriæ ſanctificationis ejus.* Pſ. 90. Dum juſto Simeoni lux oritur, omnibus rectis corde lætitia cooritur: & ideo hodierna dies inſtituta eſt, ut divinæ lucis à Domino reddamur conſortes cum juſtis, & confiteamur memoriæ ſanctificationis ejus: quia in voluntate quia ſe ipſum in templo ſanctificavit, & in Mariæ ulnis obtulit Hoſtiam puram & ſanctam Patri æterno, nos etiam ſanctificati ſumus.

*Quæ cauſſa purificationis M. V.* Exod. 13. Num. 18

Sed in particulari hic videamus, quam obligationem Maria habuerit ad hanc purificationem, vel ad infantis ſui oblationem. Duæ erant olim leges hanc rem concernentes. Una erat concernēs maſculos primogenitos, qui jubebātur offerri Deo, & redimi quinque ſiclis. Ideo autem voluit ſibi offerri primogenita, quia dum percuſſit primogenita Ægypti, primogenita Iſraelis conſervavit. Unde dicitur: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Iſrael.* Altera erat concernens puerperas, & pullum columbæ ſive turturem, aut duos pullos columbarum vel duos turtures ſi pauperes erant. De hac re agitur. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculū, immunda erit ſeptem diebus, juxta dies ſeparationis menſtruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus; ipſa vero triginta* Levit. 12

tribus

Leges antiquæ ut Chriſtum, ſic nec M. V. obligabant.

*tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur Sanctuarium.* Itaque per ſeptem dies nemini, ne marito quidem, cum ea verſari licebat, veſci, vel colloqui: per alios 33. dies arcebatur quidem a ſanctuario, ſed cum ea licebat veſci aut verſari. Hæ duæ leges Chriſtum nec Mariam concernebant. Non prima lex, quia agit de primogenitis qui aperiunt vulvam, Chriſtus autem cum ex virgine natus ſit, matris clauſtra non reſeravit; & ſic in rigore loquendo vulvam non aperuit, ideoque illa lege non comprehenditur. Et quidem ſpecialiter ſic legem expreſſiſſe Spiritum ſanctum, ut verbis expreſſis Chriſtus & Maria non comprehenderentur, communis eſt ſententia Doctorum. Altera etiam lex Mariam non obligat. Quia verba legis agunt de muliere quæ ſuſcepto ſemine peperit maſculum; Maria autem nec concepit, nec genuit ſuſcepto viri ſemine. Neque refert quod in Hebræo habeatur: Mulier quæ ſeminificaverit, ſeu quæ fecerit ſemen, ſive quæ genuerit, ita ut ſemẽ pro prole accipiatur (prout aliqui ſunt interpretati:) licet enim ſemen aliquando pro prole accipiatur, tamen ſeminificare eſt ſuſcepto ſemine parere, & emittere prolem ex ſemine conceptam; quod Mariæ non convenit. Itaque non eguit Maria purificatione, cujus integritatem filius non minuit, ſed ſacravit, quia ſine ſorde filium peperit ſanctiſſimè & puriſſimè, ut ſol radium ſuum, ut ſupra diximus. Non poterat de hac puerpera dici quod de aliis lex, præſcripit. *Omne ſanctum non tanget*; quandoquidem ipſum ſanctum ſanctorum in gremio tenebat, in ſinu fovebat, virgineo lacte nutriebat, inquit B Euſebius Emiſſenus ſerm. de purificatione. *Nequaquam immunda judicatur, quæ ſancto Spiritu obumbrante, totius munditiæ, & ſanctitatis authorem genuiſſe probatur*, inquit S. Eligius. Dicere ergo poterat virgo. Quid mihi opus purificatione, cur abſtineam ab ingreſſu templi, cujus uterus neſciens virum templum factus eſt Spiritus Sanctus. Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu nihil in hoc partu impurum, nihil purgandum, cum proles iſta fons ſit puritatis, & purgationem facere veniat delictorum. Quid ergo in me legalis purificat obſervatio, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu immaculato? Interim licet hæc omnia poſſet dicere, voluit tamen varias ob cauſas legi huic ſe ſubdere.

Cauſſa purificationis B. Mariæ. 1. Vt Filio ſuo aſſimularetur.

*Prima* eſt, ut filio ſuo aſſimilaretur, qui cum omni peccato careret, voluit tamen fieri in ſimilitudinem carnis peccati, & peccatoris quoddam velut ſtigma ſibi in circumciſione inuri. Unde Bern. *O vere Beata Virgo, verè non habes cauſſam, nec tibi opus eſt purificatione; ſed nunquid filio tuo opus erat circumciſione? Eſto inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus ſic eſt in numero puerorum.* Sicut ergo filius ejus voluit illam circumciſionis legem ſervare, ut humilitatem & obedientiam profiteretur; omnemque occaſionem ſcandali vel murmuris evitaret; eamdem ob cauſam Maria Virgo legem obſervat purificationis. Maxime, cum non foret cognitum eam virginem peperiſſe & ſine impuritate, ſcandali occaſio vitanda erat: quam etiam ob cauſſam Chriſtus cum ad tributum urgeretur, voluit ſolvere. Unde dicit Petro: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis, an ab alienis?* Mox ſubdit: *Vt autem non ſcandalizemus eos vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore ejus invenies ſtaterem; illum ſumens da eis pro me & te.* Hanc eandem ob cauſſam dicebat Apoſtolus: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Noli cibo perdere eum pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Loquitur de idolothytis, ſive de cibis idolo conſecratis, quos aliqui comedebant libere & ſine conſcientia, alii vero inde ſcandalizabantur. Quantum autem murmuris aut ſcandali oriri potuiſſet ſi legis purificationem. Maria non ſubiiſſet, ex eo colligi poteſt, quod multi ex ſanctis Patribus doceant ideo Joannis Baptiſtæ patrẽ Zachariam occiſum fuiſſe, quod cum myſterium de Virginis partu intelligeret, non arcuerit puriſſimam matrem à Templi loco qui Virginibus ex lege erat deſignatus. Erat vero hic locus inter Templum & Altare medius, Unde exiſtimant hunc eſſe Zachariam de quo Dominus: *Veniet ſuper vos omnis ſanguis, à ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ quem occidiſtis inter templum & altare.* Hujus ſententiæ eſt Sanctus Gregorius Nyſſenus de Chriſti Nativitate Sanctus Baſilius de humana Chriſti generatione. Origines in Matt. tract. 26. Cyrillus Alexandrinus adverſus Antropomorphitas. Teſtatur quoque Hippolytus Martyr apud Nicephorum lib, 2. c. 3. Zachariam patrem Joannis fuiſſe filium Barachiæ Sacerdotis. De illo etiam ſic ait Epiphanius de vita & interitu Prophetarum. *Zachariam Herodes ille Tyrannus juxta aram domumq; Dei occidit, effuſus eſt ſanguis ejus in veſtibulo templi.* Et Tertullianus in Scorpiaco c. 8. *Zacharias intra altare & ædem trucidatur, perennes ſui cruoris maculas ſilicibus aſſignans.* Quamvis igitur S Hieronymus ſimplicitati credentiũ aſſignet quod de Zachariæ nece & ſanguine dicitur, tamen ex his patet antiquorum id niti auctoritate, quod ſcilicet quia annuntiabat Chriſtum adveniſſe & ex Virgine ortum eſſe, & matrem hanc puriſſimam à Virginum loco arcendam non eſſe, neci crudeli occaſionem dederit. Unde Cyrillus loco citato ſic ait: *Quando audierunt Regem totius creationis ad humanam nativitatem divino conſilio procedere, veriti ne in ejus Regis poteſtatem venirent, eum qui hæc de partu teſtificatus erat interficiũt ſacrificantem* Necdum vero tempus erat ut ſeipſum Chriſtus mox natus proderet, aut Maria, & ideo ille ſubit circumciſionem, illa purificationem, quaſi de communi eſſent hominum ordine, & legi ſubditi ut cæteri, qui exempti erant & ex leges.

Matt. 17.

1. Cor. [illegible]

Zacharias quare occiſus

Matt. 23.

*Secunda cauſa* purificationis à Maria ſuſceptæ fuit,

*2. Vt nos excitaret ad quarẽdam puritatem.*

fuit, ut nos excitaret hoc exemplo ad quæ rendam puritatem, ſive ad purificationem ſpiritualem, ſicut filius ſuo exemplo in circumciſione carnis nos in vitabat ad cordis circumciſionem. Hanc rationem affert S. Ber. ſerm. 7. inter parvos. *Quid eſt quod dicimus B. Mariam purificari? Quid vero quod ipſum Ieſum dicimus circumcidi? Enim vero tam non indiguit illa purificatione, quam nec ille circun.ciſione. Nobis ergo & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut à vitiis continentes, primum per ipſam continentiam circumcidamur deinde à commiſſis per pœnitentiam purificemur.* Amat Jeſus, amat Maria magnopere in nobis puritatem, docetque nos illam in templo quærere. Nam quia novit infirmitatem noſtram multis eſſe ſordibus obnoxiam, aperuit nobis in medio Eccleſiæ *fontem in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* Non ergo ſolum anima peccatis levibus obnoxia ibi reperit ablutionem; ſed etiam quantumlibet menſtruata, quantumlibet ſanguine cruenta & fæda: licet veſtimentum gerat mixtum ſanguine, quod in combuſtionem eſſet, & cibus ignis, ibi tamen purificatur. Hic eſt fons pœnitentiæ, qui patens dicitur, quia nulli clauſus, nec abſconditus: qui de domo David ſunt eum facile reperiunt, hoc eſt filii Eccleſiæ: & qui habitant in Ieruſalem ad eum lubenter accedunt; hoc eſt, qui ad viſionem & amorem pacis adſpirant. Maria quæ de domo David erat & in Ieruſalem procedebat, fonte illo non egebat, quia nec maculam culpæ cõtraxerat, nec legalis immunditiæ: fontem tamen illum omnibus habitantibus in Ieruſalem oſtendebat, & ad eum nos invitabat, ſciens noſtram indigentiam Si ergo nos Ieſum, ſi Mariam amare profitemur, cura ſit nobis continua puritatis acquirendæ & conſervandæ, puritatis inquam ſpiritus, cordis, carnis. Puritatem hanc diſcere poſſumus à Ieſu, & ab illo tamquam fonte eam derivare; quia origo eſt ſanctitatis omnis, non ſolùm ſecundum divinam naturam, ſecundum quam eſt eſſentialiter puriſſimus & ſanctiſſimus, ſed etiam ſecundum humanam: quia eius anima & caro deifica divinitate ſanctitatis & puritatis ſacratiſſimo chriſmate copioſiſſime eſt perfuſa, ut eam etiam in omnes valeat dirivare. Diſcere eandem puritatem poſſumus à Maria, in qua eminentiſſima fuit, etiam ſuper omnes Angelos, ſanctimonia mentis & corporis: & per illam tamquam per aquæ ductum in nos poteſt derivari, ſi illi corde ſincero adhæreamus.

*Pœnitentia fons patens.*

*3. Vt ſolemniter in templo filium offerret.*

*Tertia cauſa* fuit, ut occaſione hujus obſervantiæ legalis ſolemniter filium ſuum offerret in templo. Volebat enim ipſe mox ab infantia templum illud honorare, & implere Aggæi prophetiam; *Veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituũ & magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ pluſquamprimæ.* Longè major fuit gloria primi templi in ſtructura magnifica, quam ſecundi à Zorobabele in te- ditu à captivitate exſtructi, ſed tamen dicitur fore major gloria hujus ſecundi, quia Chriſtus erat illud ingreſſurus, ibi ſe oblaturus, ibi concionaturus, & miracula patraturus. Gloria ergo illius domus primæ in eo fuit quod Deus in nube in illud deſcenderit: gloria domus ſecundæ in eo quod Deus homo ibi viſibiliter ſe præſentaturus foret, Gloria domus primę in eo quod multitudo hoſtiarum ibi ſit offerenda; ſed gloria domus ſecundæ in eo quo primogenitus Dei filius hodie in eo ſit oblatus, omnes continens & conſummans hoſtias, de quo etiam Malachias: *Statim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis.* Volebat etiam Chriſtus (qui à primo inſtanti quo homo factus eſt in carne paſſibili perpetuo fuit victima ante faciem patris) omnibus modis pro nobis in ſacrificium offerri, & hæc eſt publica & ſolemnis oblatio qua ei ſiſtitur incruentè. Volebat & ipſe non ſolum nos redimere, ſed etiã pro nobis redimi: quod factum eſt, dum inſtar aliorum primogenitorum quinque ſiclis eſt redemptus, ut præcipiebatur. Virgo ergo ſanctiſſima cum obtulit ſine Agno, quia ipſa agnum verum offerebat. Ipſum quoque redemit, non tam ſuo quam totius mundi nomine; & ideo jam totus noſter cenſetur, non ſolum ut à Patre datus, ſed etiam ut à Matre redemptus. Sic quod de eo canitur: ***Ieſu noſtra redemptio, amor & deſiderium,*** dupliciter verum eſt, active ſcilicet & paſſive, quia & pro nobis redimi dignatus eſt in templo, & nos redimere voluit in patibulo. Utrobique interim in Sacrificium eſt oblatus, & quidem ut dixit Propheta Iſajas: *Oblatus eſt quia voluit.* Nam & modo oblatus eſt, non quia opus habuit, aut quia ſub legis edicto fuit; ſed quia ita voluit, & quia ita Patrem velle agnovit. Et in cruce oblatus eſt, non quia meruit, aut quia Iudæus prævaluit, ſed quia ipſe voluit; ut voluntariè noſipſos ei Sacrificaremus, qui voluntarie ſe ipſum pro ſalute noſta obtulit, quotieſcumque obtulit: *Ergo pro eis* (inquit ille) *Sanctifico me ipſum.*

*Malach. 3.*

*Num. 18.*

*Iſa. 53.*

*Ioan. 17.*

*Differentia Oblationis Chriſti in templo, & in cruce.*

Sed utriuſque oblationis & Sacrificii digna eſt conſideratione differentia.

1. Hic velut matutinum eſt ſacrificium, poſtmodum ſequetur veſpertinum, ut implicatur figura Agni, qui præcipitur offerri mane & veſperi.

*Exo. 24. Num. 28.*

2. In matutino offertur inter brachia matris, in veſpertino inter brachia crucis. Nunc offertur miro cum gaudio ſpecioſus ille forma præ filiis hominum, tunc autem diro cum lamento noviſſimus virorum vir dolorum.

3. Nunc Mater Paterque dicere poteſt: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui:* tunc vero Patri dicet quaſi derelictus. *Deus Deus meus ut quid dereliquiſti me;* Matri vero quaſi eam derelinquens, *Mulier ecce filius tuus.*

4. Nunc offertur in templo gloriæ & odoris, tunc in loco infamiæ & fœtoris.

5. Nunc offertur cum cereis & lumine; tunc

cœli luminaribus ſubtractis ubique factæ ſunt tenebræ.

6. Nunc offertur cum benedictione Simeonis & Annæ, omniumque juſtorum expectantium redemptionem Iſraël: tunc cum maledictione multorum blaſphemantium Redemptorum Iſraël.

7. Nunc redimitur quinque ſiclis, tunc redimet omnes quinque plagis.

8. Nunc cum præconio introducitur intra ſancta, tunc cum improp rio ejicietur extra caſtra.

9. Sacrificium quidem hoc jucundius, dum offertur incruente; ſed iſtud erit plenius, quod non conſummabitur niſi toto exhauſto ſanguine. Utrumque tamen fit ardenti amore noſtri, & ideo utrumque debet ardenter imprimi noſtro cordi, quod ſibi optat offerri in perfecti holocauſtum amoris. Nam & propterea Maria obtulit primogenitum ſuum, ut doceret nos Deo offerre primogenitum noſtrum. Quod eſt autem primogenitum in nobis, niſi cor noſtrum, quod primũ vivens, & ultimum eſt moriens, ergo illud primo viventi, vitæ auctori conſecrandum & cum Chriſto primogenito Mariæ, primogenito omnis creaturæ, indiviſibiliter conjungendum: in qua unione non poterit non eſſe Patri acceptiſſimum.

*4. Vt doceret proles mox à partu Deo offerendas.*

*Quarta cauſſa* purificationis Mariæ fuit, ut doceret mulieres omnes fructum ſuum mox à partu Deo offerre. Ad hoc nempe matrimonium inſtitutum eſt, ut terram impleat fidelibus, qui poſtmodum in cœlo impleant numerum electorum; nam per illud multiplicantur animæ quæ in æternitate Deũ debent benedicere. Unde mox ab utero proles Deo ſunt offerendæ. Sic B. Monica Auguſtinum Deo obtulerat, qui fatetur ſe ex Matris utero ſal quoddam Dei guſtaſſe, matris pietate illud ori animæ ejus inſtillante. Sic B. Alæta Mater Bernardi proles omnes quas gignebat in ulnas ſumebat, & Jeſu Chriſto offerebat, conſecrabat; atque ex eo tempore eas tractabat quaſi res ſacras, ſacrumque depoſitum ſibi à Deo commiſſum; quod adeo fæliciter ſucceſſit; ut ſeptem ſanctiſſimas nacta ſit proles divino mancipatas obſequio. Sic Mater B. Edmundi mox à nativitate eum Deo ſacravit; & quia præter communẽ naſcentium morem mundus è maternis viſceribus prodierat ſingulari ſcilic. Dei beneficio ſic futuram ejus puritatem inſinuabat ita ut mundiſſimus pannus cui involutus fuit nullam maculam contraheret; ideo mater in baptiſmo eum Edmundum tamquam à munditia nuncupandum cenſuit. Et exinde puritatis ejus magnam curam habuit, monitis & inſtructione continua. Sic Lauduna mater S. Elzearii Comitis, ſuum hũc primogenitum mox ferventi devotione Deo offerens dixit: *Domine Deus ad cuius imperiũ omnes exiſtunt creaturæ, gratias tibi ago pro hoc filio tua benignitate mihi donato, humiliterque oro ut eum ſervum accipias, & tua benedictionis gratiam ei largiaris. Quod ſi tu illum noſti divinæ voluntati tuæ fore rebellem, ubi ſacro baptiſmate erit candidatus, illum ſine mora è medio tolle. Satius enim eſt innocentem & nullis propriis auctum meritis tecum vivere, & mundo emori, quam in hac mortali vita tuam offendere Majeſtatem.*

*Aug. l. 1. confeſſ.*

*Surius 20. Aug.*

*Surius 16. Nov.*

*Surius in vita 28. Septemb.*

Hinc etiam eſt, quod ad imitationem B. Mariæ poſt partum procedũt cum prole Matres ad Eccleſiam, ut reddant Deo gratiarum actionem qui eas è periculo partus incolumes reddidit: ſimulque ut offerant ſe & fructum ſuum divinæ majeſtati, implorata per preces Sacerdotis & Eccleſiæ benedictione pro ſe & prole. Unde nec ſine myſterio ſunt ceremoniæ tunc adhibitæ. Primo veniunt cum cereo & lumine, Chriſtum ſibi propitium optantes qui lumen eſt de lumine, gratiaſque illi agentes quod lucem vitæ lucemque gratiæ proli dignatus ſit impertiri. Secundo, à ſacerdote capiti earum ſuperponitur ſtola, deſignans à filio Dei mortalitatis noſtræ ſtola induto omnem benedictionem derivari, & per illum immortalitatis ſtolam in Adam perditam recuperari. Tertiò, recitatur oratio in memoriam Præſentationis Jeſu & Purificationis Mariæ: *Omnipotens ſempiterne Deus majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut ſicut Vnigenitus tuus cum noſtra carnis ſubſtantia in templo eſt præſentatus, ita facias hanc famulam tuam purificata tibi mente præſentari.* Quarto recitatur Evangeliũ S. Ioannis, in quo continetur quomodo filius Dei dedit nobis poteſtatem filios etiam Dei fieri, & ex Deo naſci; ad quem effectum habitavit in nobis, & Verbum caro factum eſt. Quinto monentur (juxta rituale diœceſis noſtræ) ne puerum ſecum in lecto eodem collocent, quia frequenter grave illis inde imminet periculum. Accedant ergo ad templum puerperæ, non Iudaico ritu, ſed imitatrices Mariæ; nec vim ponant in diebus purificationis, ſed ubi integram recuperarint valetudinem poſſunt accedere. Nec etiam diem obſervent, an ſit dies Martis, Iovis aut Sabbati, Omnis enim dies ad id aptus debet judicari. Unde illæ quæ die Lunæ Mercurii, aut Veneris cavent accedere (tales nunnullæ reperiuntur) non id agere poſſunt ſine ſuperſtitione & vana obſervatione; quaſi aliquis dies fælix, alter ſit infelix. An forte dies Veneris ſanguine Chriſti conſecratus, non eſt opportunus ut infans in illo Deo offeratur & conſecretur? Quòd ſi Chriſtus in die dominico natus eſt (ſecundum veriorem opinionem) Mariæ purificatio in diem Mercurii incidet, ut patebit compu anti 40. dies: ergo ille dies non eſt reputandus quaſi inter minus fœlices pro puerperis.

*Cauſſa ceremoniarum puerperarum poſt partum.*

*Damnabilis ſuperſtitio puerperarum in die egreſſus poſt partum.*

Concludamus, & pro coronide adjiciamus Mariam nõ ſolum Jeſum obtuliſſe & redemiſſe quinque ſiclis, (valebat ſiclus florenum noſtrum brabanticum) ſed etiam obtuliſſe duos turtures, vel duos pullos columbarũ, quæ erat oblatio pauperum. De hac re agens Origines hom. 14. in Lucam ait: *Ego aves iſtas beatas puto quæ pro ortu Domini oblatæ ſunt: Et quomodo aſinam Balaam miror, & fælicitate accumulo, quia digna fuerit non ſolùm videre*

*dere Angelum Dei, ſed etiam ore reſerato in humanum ſermonem erumpere; ſic multo amplius has volucres prædico, eaſque ſuſtollo quod pro ſalvatore oblatæ ſunt.* Quod vero idem Origenes inſinuat ibidem non fuiſſe veras aves, ſed ſicut in ſpecie columbæ Spiritus apparuit, ita hic fuiſſe ſpeciem turturis aut columbæ; id inquam rejiciendum eſt, nam proprietas ſcripturæ requirit ut veras fuiſſe turtures vel columbas aſſeramus. Habebant tamen & illæ ſignificationem myſticam à SS. Patribus inſinuatam.

*Columba & turtur myſticè quid ſignificent.*

1. De hac re ſic loquitur *S. Ambroſ.* 5. Hexameron. c. 19. *Dei lex hæc caſta hoſtia munus elegit. Hoc eſt enim verum Chriſti Sacrificium, pudicitia corporalis & gratia ſpiritualis, pudicitia ad turturem refertur ad columbam gratia.* Hæc ille.

*Beda in hom.*

2. Sic loquitur eadem de re Beda, *Columba ſimplicitatem, turtur indicat caſtitatem, quia & columba ſimplicitatis, & caſtitatis amator eſt turtur, ita ut ſi conjugem caſu perdiderit, non ultra aliam quærere curet. Merito ergo turtur & columba offeruntur in hoſtiam Domino, quia ſimplex & pudica converſatio eſt illi juſtitiæ acceptum ſacrificium.*

*Ibidem.*

3. *Aliam addit ſignificationem idem Beda. Cum utraque avis propter conſuetudinem gemendi præſentes ſanctorum luctus ſignificet, in hoc tamen differunt, quod turtur ſoli vagus, columba gregatim volare conſuevit; & ob id iſte ſecretas orationum lachrymas, illa publicos Eccleſiæ conventus inſinuat. Vel columba, quæ gregatim volat, activæ vitæ frequentiam demonſtrat: turtur vero, qui ſingularitate gaudet, ſpeculativæ vitæ culmina denunciat. Et quia æquè utraque creatori accepta eſt hoſtia conſultè Lucas utrum turtures an pulli columbarum pro Domino ſint oblati non dixit, ne unum alteri vivendi ordinem præferret, ſed utrumque ſequendum doceret.* Hæc Beda ſuper Lucam.

Offeramus & nos cum Maria per turturem, vel duos pullos columbarum: averſionem à peccato, converſionem ad Deum; odium peccati, amorem Dei. Offeramus par turturum; corporis & animæ puritatem. Offeramus intellectum & voluntatem, Offeramus adorationem profundam & dilectionem ſinceram. Offeramus totum hominem exteriorem. Offeramus totam interiorem gementes vitam præteritam.

LECT. 56

## DE CEREIS ACCENSIS.

*Lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Iſraël.* Luc. 2.

*De candelis hujus feſti & earũ ſignificatione.*

HOc Feſtum vocatur etiam *feſtum candelarum, ſive Candelaria* à candelis ſcilic. tunc ſolenniter benedici ſolitis, quia unuſquiſque fidelis in hac feſtivitate cum cereo accenſo ſolebat ſe in templo ſiſtere. Hunc vero morem primò introductum exiſtimant antiquitus, ad tollendum abuſum Gentilium, qui adhuc inter aliquos noviter ad fidem converſos vigebat. Solebant nempe Romani Kalendis Februarii ad honorem Februæ (hæc dicitur fuiſſe mater Martis qui eſt Deus Belli) tota nocte civitatem luſtrare cum cereis & facibus: & hoc fiebat de quinto in quintum annum, unde & dictum eſt *Luſtrum*, quod & modo quinque annorum ſpatium Latinis ſignificat. Ideò verò hanc Februam Deam venerabantur, ut Mars ejus filius felicem eis victoriam in bellis concederet. Item hic menſis Februarius dicatus erat Februo, id eſt Plutoni, aliiſque diis inferni, quibus tunc ſacrificabant pro animabus ſuorum anteceſſorum, ut illis ei illi forent propitii, & offerentes eam ob cauſam ſolemnes hoſtias, tota nocte vigilabant cum cereis. Item dixerunt antiqui Proſerpinam Jovis & Cereris filiam, flores dum colligeret, à Plutone raptam ad inferos, eique connubio junctam, quam Mater Ceres requiſivit per totum orbem, accenſis facibus. Hinc nata ſuperſtitio, ut mulieres Romanæ Kalendis Februarii nocte tota lumina geſtarent in memoriam quæſitæ Proſerpinæ. Ita Beda cap. 10. lib. de ratione temporum. Quapropter Sergius Papa dicitur hanc conſuetudinem ſuperſtitioſam commutaſſe in pium hunc morem luminis ubique accenſi in honorem Virginis Matris, & Filii ejus JESU CHRISTI. Sed quamcumque ob cauſſam & à quocunque mos iſte pius introductus fuerit, certum eſt omnino in Eccleſia antiquum eſſe; nam etiam illius meminit Cyrillus Jeroſolymitanus ſic in hac feſtivitate ajens: *Læti hodie lampades ornemus, jamque filii lucis, ceras Chriſto veræ Luci offeramus. Quoniam lumen ad revelationem gentium mundo apparuit, ideo lumina reſplendeamus.* Sunt igitur hujus luminis ſacri plures ſignificationes myſticæ.

*Vide has nationes apud Iacobum Voragine ſer. 5. de hoc feſto.*

*Cereus accenſus Chriſtũ deſignat.*

Primò Cereus accenſus aptiſſimè deſignat Chriſtum. Nam cera carnem ejus ſignificat, quæ genita eſt ex Virgine ſine corruptione, ſicut etiam apes ceram ſuam ſine corruptione gignunt. Lychnus verò ſignificat Chriſti animam, in noſtra carne velut in cera latentem. Ignis autem accenſus deſignat divinitatem eſt enim divinitas ignis ardens, & lux illuminans, à qua omnis ardor, omne lumen in Chriſti animam primum, deinde & in fideles omnes derivatur. Et quia Chriſtus noluit mox ſuam omnibus manifeſtare divinitatem, ſed certis temporibus, certiſque perſonis paulatim ejus lucem oſtendit, *in manibus ſuis abſcondit lucem, & de ea annuntiat amico ſuo*, inquit Job; ideo quædam ſunt feſtivitates quæ ſpecialiter poſſunt feſta luminis appellari.

*Iob. 36.*

*Quædam feſta ſpecialiter feſta luminis appellantur.*

*Primum* eſt Nativitatis Domini feſtum, cujus prima Miſſa rememorat nobis quomodo ipſe in die æternitatis proceſſerit à Patre tamquam lumen de lumine: Secunda, quomodo lucem ſpiritualem voluerit nobis ingenerare; *Lux fulgebit hodie ſuper nos*, canit tunc Eccleſia: Tertia, rememorat nobis Nativitatem ejus in carne, per quam hæc lux orta eſt nobis, in cujus lucis ſymbolum claritas

Dei circumfulſit Paſtores. Ob eandem etiam ſignificandam ſolet triplex cerea candela pleriſque in locis in altari accendi in his tribus Miſſis.

*Secundum* feſtum luminis eſt feſtum Regum, quod & feſtum Apparitionis dicitur, in quo Gentilibus primò lux orta eſt, & factus eſt manifeſtatio illius qui dicitur hodie, *Lumen ad revelationem gẽtium, & gloriam plebis Iſraël.* Unde tunc etiam canitur: *Surge illuminare Ieruſalem quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt* [Iſai. 60.]

*Tertium* feſtum luminis eſt feſtum Transfigurationis, quia in illa refulſit facies ejus ſicut Sol, ita ut lucem illam non ferentes infirmi diſcipulorum oculi, terrore percuſſi ſint. Nempe ibi luminis ſui æterni ſpecimen voluit exhibere, in quo videbimus lumen de lumine, & ideo merito luminis feſtum poteſt nuncupari.

*Quartum* feſtum luminis, feſtum eſt Reſurrectionis, quando lux ejus quæ mortis occiduis tenebris ſepulta videbatur, mox novo inclaruit oriente, ita ut in fines orbis ſplendorem radiantem ſtatim protulerit. In figuram hujus rei; olim Sabbato ſancto in Eccleſia Sepulchri Domini, igne de Cœlo deſcendente, poſt conſecrationem baptiſmalis fontis, lampades omnes & cerei divinitus accendebantur. In hujus rei etiam ſignificationem Cereus Paſchalis, quinque granis thuris odoriferi adornatus, ſuccenditur novo igne. Symbolum enim gerit Chriſti redivivi, glorioſi corporis novo lumine cincti, quinque vulneribus decori.

*Quintum* luminis feſtum, eſt feſtum Pentecoſtes, in quo ignis ille divinus cum ſplendenti lumine in verticem Apoſtolorum deſcendit: quo ipſi ſuccenſi & illuminati, per totum orbem corda fidelium illuſtrare debebant, & ardentia reddere. Quocirca etiam in illius ſolemnitatis pervigilio fons baptiſmalis denuò conſecratur, immiſſo in eum cereo illo myſtico Chriſtum deſignante, qui vim regenerativã aquis contulit, ſimulque virtutem illuminativam, à qua Baptiſmus vocatur *Sacramentum Illuminationis* à SS. Patribus; in quo filii lucis & gratiæ efficimur, qui eramus filii iræ & tenebrarum.

*Sextum* feſtum luminis, eſt feſtum Venerabilis Sacramenti, quod cereis accenſis ubique colitur; ut in conſpectu tanti luminis & ſplendoris fidei hoſtes, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & contuſi aliquando reſipiſcant, ut loquitur Tridentinum Concilium ſeſſ. 13. c. 5.

*Septimum* Denique & hoc feſtum ſpecialiter feſtum luminis ab Eccleſia eſt nuncupatum, ſolemni cæremoniâ & benedictione tot luminarium cõſecratum; quia tunc primum ille publicè in templo apparuit, qui ſplendor eſt paternæ gloriæ, lux lucis, & fons luminis. Et propterea major fuit gloria domus iſtius noviſſimæ pluſquam primæ, eo quod in templo illo primo typicum tantum lumen fuit jugiter ardens; hujus verò luminis hodie in templo ſecundò ſeſe exhibentis figuram gerebat, ſignificabaturque Eccleſiam, quæ eſt Domus Dei viventis, à Chriſti Incarnatione luminis divini ſumere primordium. Quod ipſum tot deſideriis optarat ſenex Simeon juſtus & timoratus continuò dicens illud [Iſa. 62.] Iſaiæ: *Propter Sion non tacebo, propter Ieruſalem quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor juſtus & Salvator ejus ut lampas accendatur.* Propter Sion dicit ſe clamaturum: hoc eſt propter gloriam Eccleſiæ Chriſti luce illuminandæ, cujus primordia hodiernâ die coruſcant, dum lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia: & ideo cordis ejus deſiderium & clamor quietem & finem accepit.

Ex his itaque manifeſtum eſt, quàm aptè Cereus illuminatus & illuminans Chriſtum deſignet divinitatis luce coruſcum, qui gratiæ lumen, quæ divinitatis eſt ſpecialis participatio, electis ſuis in hac vita impartitur, ut & ipſi ſint lumen quoddam de lumine. Et quidem quibuſdam electis adeo copioſam lucem fundit, ut & ipſi eam in alios valeant transfundere. Audi quod de S. Dunſtano refert Scriptor vitæ ejus apud Surium. 19. Maii. Dunſtanus ex nobiliſſima Gentis Anglorum proſapia, eò nobilius in lucem hujus mundi prodiit, quò in materni ſinus anguſtia, ipſo adhuc clauſo, divino miraculo deſignatum eſt præclarum mundo per eum oriturum lumen. Cum enim Mater ejus ſpe prolis propediem naſcituræ lætaretur, dies feſtus Purificationis B. Mariæ illuxit. [Exempl.] Multitudo ergò ingens undique confluxit in Eccleſiam, quæ antiquitus Glaſconiæ de lignis miro opere ædificata. In honorem erat Dei Genitricis conſecrata; & eam inter alios adit Pater Dunſtani cum uxore. Jam Miſſæ officium celebrari cœperat, & immenſa accenſorum Cereorum claritate pro ritu feſti locus refulgebat, cum repentè ſereno cœlo omnia luminaria extincta ſunt. Reſpiciunt invicem ſinguli, attoniti pro inſueti prodigii novitate. Verùm dum ſtarent perculſi, flammam ignis cælitus labi, & cereum quem Mater Dunſtani tenebat ea accendi conſpiciunt, attoniti magis quam anteà. Accedunt itaque ſinguli ad lumen cœlo demiſſum, & inde recipiunt lumen amiſſum. Hæc Scriptor vitæ ejus. Nempè Chriſtus principalis cereus è cœlo lumen quibuſdam electis communicat ſpecialiter, & pro eos aliis, quod in Donaſtano voluit feſtivo hoc die oſtendere.

2. Cereus quem gerimus accenſum, ultra hoc quod Chriſtum deſignat, etiam ex parte noſtra ſignificat fidem ſpem, charitatem, quam erga Chriſtum profitemur. Fides indicatur in lumine. Charitas in calore. Spes in cerei recta altitudine: ſpes enim ſurſum nos erigit, ſicut & cereus ex imo in altum aſcendit. Hæc omnia indicantur, dum jubemur cum ſervis Evangelicis lucernas ardentes habere in manibus. Unde in ſymbolum ejuſdem rei, in Baptiſmo unicuique accenſus cereus traditur: quia per id monemur fidei, ſpei, charitatis in Baptiſmo acceptæ, quarum lumine iter ingredimur ſecure, ut coram Domino compareamus. Quod ſi extin-

[2. *Cereus accenſus, fidem, ſpẽ & charitatem erga Chriſtum ſignat.*]

*extingui contingat lumen gratiæ tunc acceptæ, in tenebris æternis erit ſors noſtra, ſi eo tempore à Domino evocemur. Unde monet S Bernardus. *Qui ardens eſt & lucens per gratiam & charitatem, nondum ſe in domo eſſe confidat, ubi ſine timore venti lumen ſolet deportari: ſed meminerit ſe eſſe ſub dio, & utraque manus ſtudeat operire quod portat, nec credat aeri etiam tranquillo, quia horâ quâ non putarit, mutabitur, & ſi ad modicum manus remiſerit, extinguetur. Et licet ardor manus portantis aduſſerit, eligat potius pati, quam manum retrahere, quia in ictu oculi poterit exſufflari. Si eſſemus in domo æterna, ubi nullus inimicus intrat, nihil foret timendum: ſed tribus malignis ventis expoſiti ſumus, carni, dæmoni, mundo, qui conſcientiam illuminatam moliuntur extinguere; inſufflantes deſideria prava, motusque illicitos. Ex quibus licet duo ſæpius intermittant, á tertio numquam induciæ. Ideo utriusque manibus cordis & corporis anima tegenda eſt, ne lumen ejus extinguatur, & dicendum cum*

*Pſ. 118.*

*Propheta: Anima mea in manibus meis ſemper. Eligamus potius ardere, quam cedere. Et ſicut quod manibus tenemus, non facilè obliviſcimur; ſic animarum noſtrarum negotium numquam obliviſcamur.* Hæc Bernardus. Itaque tertio nobis cereus traditur, ut nobis ſemper curæ ſit lumen. In primis quidem in Baptiſmo, ubi dicitur: *Accipe lampadem ardentem, irreprehenſibilem cuſtodi Baptiſmum tuum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, poſſis ei occurrere in aula cæleſti, habeasque vitam æternam.* Deinde quotannis in Purificatione Virginis Matris; ut in ea feſtivitate ſponſionem nomine noſtro à Patrinis factam ratificemus, & JESU Patri ſeſe tunc offerenti, nos etiam offeramus. Denique in agonia mortis, ut proteſtemur nos vivere & mori in fide & lumine Jeſu Chriſti per Baptiſmum accepta.

*Cereus accenſus eſt ſymbolum Regiæ majeſtat.*

3. Cereus qui hodiernâ die geſtatur accenſus, ſymbolum eſt ſupremi quem Chriſto deferimus honoris, ſymbolum etiam ex parte noſtra lætitiæ ſpiritualis. Nam olim Regibus & Imperatoribus in ſignum Majeſtatis faces & lampades præferri ſolitas conſtat ex Hiſtorijs non ſolum apud Romanos, ſed etiam apud Perſas, Æthiopes Chaldæos. Unde Sueton. c. 27. vitæ Julij Cæſaris ait: *Aſcendit ad Capitolium, quadraginta Elephantis dextra atque ſiniſtra lychnos geſtantibus.* Et Herodianus lib. 1. de Martia dicit: *Præter ignem, omnes honores velut Auguſtæ ei tribuebantur.* Similiter Judith c. 3. legimus, quod Principes & honorati cum populis exirent obviam Holoferni, *excipientes eum cum coronis & lampadibus.* Symbolũ etiam lætitiæ cereos accenſos præferre, ex communi populorum uſu notum eſt; in cujus rei ſignum dum Evangelium canitur, lumina præferuntur, tum ut lucem gratiæ, tum ut ſpiritualem lætitiam per verbum Chriſti exortam profiteamur: Itaque & modo omnes Fideles cereis accenſis ſignificant animi lætitiam in oblatione Salvatoris, ſimulque honorem quem illi propter illum Mater ejus MARIÆ deferunt. Atque illis gratum illud luminis obſequium eſſe, multis exemplis poſſemus declarare. Unicum dictis adjicio, quod refert Sophronius Prati ſpir. c. 18. Joannes Anachoreta & Abbas habebat in ſpelunca imaginem B. Virginis ferentem in ulnis Chriſtum Salvatorem: quoties vero abibat peregrinaturus, vel Hieroſolymam ad S. Crucem, vel in montem Sinai, vel ad ſepulchra Martyrum, reficiebat candelam & aſcendebat, & Virgini iter commendans dicebat: *S. Domina noſtra Dei Genitrix, quia iter longum peracturus ſum, Candelæ tuæ curam habe, & ne extinguatur juxta propoſitum meum ſerva, ego enim adjutorio tuo comitante, iter arripio.* Sic egrediebatur, & peracto itinere regrediebatur aliquando poſt tres vel quatuor menſes, & reperiebat integram candelam & accenſam. Et numquam hanc vidit à ſe ipſa extingui, neq; de ſomno ſurgens, neq; à peregrinatione rediens.

*Cerei oblatio Sanctis grata Exempl.*

## DE OCCURSU SIMEONIS.

LECT. 17

*Simeon venit in ſpiritu in templum, cum inducerent puerum Ieſum Parentes ejus.* Luc 2.

*De occurſu Simeonis & Annæ.*

VOcatur hoc feſtum à Græcis, *Occurſus*, quod etiam nomen Galli retinuerint, vocantes *La feſte du rencontre*, propter ſcilicet Simeonis & Annæ fœlicem illum occurſum, quo MARIÆ & Puero JESU ocurrentes in Templo, benedixerunt Dominum ejus præventi benedictione; de qua re ſic loquitur Ambroſius: *Non ſolum ab Angelis & Prophetis, à Paſtoribus & Parentibus, ſed etiam à Senioribus & Iuſtis Generatio Domini accipit teſtimonium: omnis ætas, & uterque ſexus eventorumq; miracula fidem adſtruunt. Virgo generat, ſterilis parit, mutus loquitur, Eliſabeth prophetat, Magus adorat, utero clauſus Ioannes exultat, vidua confitetur, juſtus expectat.* De hoc juſto ſic Evangelicus Textus: *Ecce homo erat in Ieruſalem, Simeon nomine, juſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſrael;* quæ ſingula pondere digna ſunt. Quid eſt enim quod habitare in Jeruſalem dicitur hoc eſt in viſione pacis, niſi quia ejus cor & conſcientia internâ omnino pace perfruebatur expers perturbationis? Quid eſt quod ei erat nomen Simeon, quod idem eſt ac obediens, niſi quod divinam in omnibus conabatur adimplere voluntatem? Cur etiam homo juſtus & timoratus dicitur, niſi quia erga proximum omnem ſervabat æquitatem; erga Deũ ſanctum & filialem timorem, nihil aliud perhorreſcens, quam ejus offenſionem? *Expectabat autem conſolationem Iſrael,* non temporalem, non mundanam fælicitatem, ſed promiſſam conſolationem ſpiritualem in adventu illius, qui fons eſt omnis boni. Etenim Spiritus S. in eo erat per gratiam ſpecialem habitans, & reſponſum acceperat ab illo, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret illum, qui ablaturus erat mortem, & allaturus omnibus

*Simeonis laus.*

conſolationem,ac ſalutem.Unde abſque dubio,ar-
denti deſiderio expectabat hanc Spiritus S. pro-
miſſionem,quam etiam ardentiſſimis precib.prius
impetrare meruerat.Quænam enim, putas debuit
eſſe orationis inſtantia,quæ divino meruit firmari
reſponſo? Quinam gemitus, & quam continui,à
quibus non ceſſavit, donec reſponſum cælitus ac-
ciperet?Fuere multi ſimili deſiderio accenſi, teſte
*Luc*,10. Domino:*Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre
quæ vos videtis,audire quæ vos auditis, &c.* ſed ex
illis hoc ſpecialiter huic conceſſum fuit , dum in
plenitudine temporis apparere dignatus eſt is qui
*Heb*.1, *multifariam multuque modis olim loquens in Patri-
bus*,per varias ſimilitudines & figuras,tandem di-
xit:*Ego qui loquebar,ecce adſum.* Ac ſicut olim Ja-
cob luctabatur totâ nocte uſque mane cum Angelo
*Gen*.32. vicem Dei tenente,& dicebat:*Non dimittam te,niſi
benedixeris mihi*: Sic & hic Senex precibus collu-
ctans cum Deo,nolebat eum dimittere, nec ab eo
dimitti, niſi benedictione ſibi impertita per viſio-
nem Salvatoris.Unde idem quod Jacob ei conve-
nit;*Vidi Dominum,& ſalva facta eſt anima mea*,&
ſicut de Jacob dicitur:*invaluit ad Angelum,& fle-
vit*,ita & hic fletu invaluit ad Dominum.Verè po-
terat dicere cum Pſalmiſta,præ magnitudine deſi-
*Pſal*. 118. derij ſui, & præ firmitate ſpei: *Defecit in ſalutare
tuum anima mea,& in verbum tuum ſuper ſperavi*
quia in ejus corde Sanctorum Prophetarum anti-
qua omnia deſideria quodammodo erant collecta,
& exæſtuabant, exſaliebantque maximo cum fer-
vore,in illum qui erat expectatus , & proxime jam
venturus. Immo Simeon perſonam gerebat om-
nium Electorum,etiam eorum qui poſt Chriſtum
futuri erant.Hi magno ardore deſiderant illius vi-
dere divinitatem,ſicut & Simeon ejus optavit vi-
dere carnem.Nam & ipſi exiſtimant mori lucrum,
quibus vivere Chriſtus eſt: & quem hic aſpexit in
carne parvulum , expectant in divinitatè immen-
ſum.Unde juſti ex fide,timorati ex ſpe,Spiritu ſan-
cto pleni ex charitate,inclamant, *Quando veniam
& apparebo ante faciem Domini? Cupio diſſolvi, &
eſſe cum Chriſto.*

Venit itaque Simeon in Spiritu in templum,hoc
eſt Spiritus S.inſtinctu,per quem Ductorem &Do-
ctorem intellexit adeſſe horam,in qua adimplenda
erant jam promiſſa Unctio Spiritus S.docebat eum
& per eandem gratiam , qua venturum Meſſiam
*B.Timot.* prænoverat,agnovit præſentem.Etenim,(ut teſta-
*Presbyt.* tur beatus Timothæus,) vidit divinam noſtram
*Hierar.* Virginem,licet in medio turbarum,& aliarum mu-
*Orat:de* lierum,inſtar ſtellæ lucentem,& agnovit in ea Spi-
*Simeone.* ritus ſancti ſignum:ideo acceſſit,& accepit in ulnas
ſuas infantem quem geſtabat,& benedixit eum. O
verè fœlix Occurſus, cor Senis ineffabili imples
gaudio, dum leve illud onus divinum ſenilia bra-
chia amplectuntur,& portant,à quo ipſe Senex re-
gebatur & portabatur!Meritò hoc feſtum *Occurſus*,
ſive *Obviatio* nominatur, dum Simeoni, & Annæ
dignatur Dominus occurrere,& ſe manifeſtare.Ille
ſpeculum eſt virorum,illa viduarum & mulierum;
in utroq; Spiritus ſanctus agit, quia utrumque ad
Templum adduxit. Unde S. Timothæus Chriſto
Templum ingreſſo ſic introducit Spiritum ſanctum
ad Simeonem loquentem:*Surge ſenex,quid dormis?
Matura cito,præſto eſt qui te abſolvet,excute[illegible] &, præ-
para necrotaphia, funereasque ſyndones, præpara ſe-
pulchrum,adeſt qui te miſſum faciet,adeſt Emmanu-
el.* Anna autem mulier deſideriorum,ſicut & Sime-
on vir deſideriorum,non abſimilis erat alteri annæ
matri Tobiæ,quæ expectans filium peregrinantem
ſedebat in ſupercilio montis,unde reſpicere pote-
rat eum de longinquo venientem. Atq; ipſa, ſine
dubio Spiritus impulſu, eâdem horâ ſuper venit,
quæ etiam Prophetiſſa fuiſſe dicitur annorum octo-
ginta quatuor,jejunijs & orationibus ſerviens Do-
mino nocte & die , non diſcedens à templo:ſuper-
veniens autem confitebatur Domino, & loqueba-
tur de eo omnibus qui expectabant redemptionem
Iſraë l;gaudio etiam ineffabili repleta in hoc occur-
ſu Salvatoris, qui coronidem vitæ ejus mox erat
impoſiturus,& æternæ coronam vitæ daturus.

Sic ſemper fælix fuit Domini occurſus,ab initio *Occurſus*
infantiæ uſque ad terminum vitæ. Occurrit enim *Chriſti*
diſcipulis piſcantibus,cum eſſet in plena ætate, & *felix.*
vocat eos,gratiæq; divinæ ſupra omnes homines
facit eos participes.Occurrit *cæco in via*,& eum lu-
ce donat.Occurrit *filio viduæ in porta*, & reſuſcitat. *Ioann.* 4.
Occurrit S*amaritanæ ad puteum*, & propinat ei a-
quam vitæ. Occurrit *decem leproſis*, & ſanitati eos
reſtituit.Occurrit *Chananeæ*,& filiam à Dæmonio
liberat.Occurrit mulieri *fluxum ſanguinis patienti*,
& integrè eam ſanat.

Occurramus & nos ei cum Simeone & Anna in
hac ſacratiſſima proceſſione , nec carebimus ejus
benedictione.Ulnis fidei,brachijs charitatis,oculis
ſpei poſſumus eum accipere,& cum gaudio bene-
dicere,lachrymisque devotionis divinam ejus fa-
ciem rigare.& juſtorum omnium, qui eum in car-
ne videre meruerunt,gratiæ conſortes eſſe, maxi-
me illorum, qui in hac cæleſti fuerunt proceſſio-
ne,dum in templo inventus eſt,& oblatus divinus
ille puer.O verè cœleſti gaudio plena proceſſio il-
la,cælum ornans & terram,in qua reperitur Jesus,
Maria,Joseph, fœlix Trinitas terræ & indiviſa:
in qua etiam reperitur Simeon & Anna,ex Spiri-
tus inſtinctu divina decantantes præconia. Quis
dignitatem poſſit ſatis explicare horum omnium
ut etiam proceſſionis hujus majeſtatem valeat in-
telligere?Reperitur hic Jesus Deus & homo, Ma-
ria Mater & Virgo,Joseph maritus & illibatus,
continens & Sponſus Simeon ſacerdos & Propheta
Anna Vidua & Prophetiſſa: digna ſane congrega-
tio,cui omnis ætas,omnis ſexus,omnis ſtatus jun-
gatur.*Iuvenes & virgines ſenes cum junioribus lau-* *Pſal*.148
*dent nomen Domini,quia exaltatum eſt nomen ejus
ſolius,Confeſſio ejus ſuper cælum & terram, hymnus
omnibus Sanctis ejus , filijs Iſrael , populo appropin-
quanti ſibi*.Appropinquent igitur Senes,& cum Si-

meone

meone ſene divinas decantant laudes. Appropinquent viduæ, & cum Anna vidua gloriam Dei annuncient. Appropinquent Virgines cum Maria Virgine in Filij Dei præconijs exultantes. Appropinquent Maritati, jungantque ſe cum Joseph lætitiâ exſilientes. Appropinquent pueri, puero Jesu ſocietatem facientes. Appropinquent Juſti, cum iſtis, imo & cum Angelis in ſpiritu pietatis & devotionis. Appropinquent peccatores, turturem & columbam gementem offerentes, cum ſpiritu cō-punctionis. Appropinquent omnes filij adoptionis ad hoc ſacrificium Filij Dei naturalis, ut participes fiant redemptionis & fœlicis cum ſene mortis. Quicumq; in ſpiritu venerit in templum, non erit expers benedictionis, nec amplexus ſpiritualis; ſi cor & ulnas voluerit aperire amoris, inſtar Annæ & Simeonis.

*B. Virgo cordis ſecuritatem donat*

Audi hac de re quod B. Angelæ de Fulginio legitur contigiſſe hodierna die, cum in ſpiritu in templum ingreſſa eſſet. In vita ejus cap. 45. ſic legimus; In Purificatione B. Virginis, cum eſſem (inquit) manè in Eccleſia Fratrum Minorum de Fulginio, facta eſt mihi locutio dicens: *Hæc eſt horâ, quâ Virgo venit cum Filio in templum.* Et hæc audivit anima mea magno cum amore, & vidi Dominam intrantem, obviavitque illi anima mea cum magna reverentia. Et cum vererer accedere, extendit ad me Filium ſuum, magnam animæ meæ dans ſecuritatem, & dicens: *O dilectrix Filij mei illum accipe inter brachia tua.* Sic ſubitò remanſit puer in brachijs meis totus nudus; & cum direxiſſet in me oculos, quos prius videbatur habere clauſos mirum ſenſi amorem: Exijt enim de ejus oculis tantus ſplendor, & ignis amoris ac lætitiæ, ut ſit mihi indicibile. Et tunc ſubitò apparuit immenſa quædam majeſtas ineffabilis, dixitque mihi: *Qui non viderit me parvum, non videbit me magnum.* Iterumque dixit: *Ego veni ad te, & obtuli me tibi, ut tu te offeras mihi.* Hæc omnia vidit & audivit anima mea elevata, & tunc modo mirabili & indicibili obtulit ei anima mea ſe ipſam; nihil ſibi, nec de ſe, nec de ſuis reſervando. Et intellexit Deum hanc oblationem gratiſſimam & acceptiſſimam habere. Ita tibi.

Refert Thucidides, Athenienſem quendam, inclytum militiæ Ducem, Regis ita iram incurriſſe, ut de capite ejus ageretur. Quid ageret ipſe tanto in diſcrimine? Reginam accedit, & ad ejus pedes provolutus cum lachrymis, inſtanter ſupplicat, ut apud Regem intercedere dignetur. Cui illa: En parvulus unicus Regis filius unicè dilectus, ſuſcipe eum in ulnas, & cum eo coram Rege te ſiſte, & amore filij dilectiſſimi quem geſtas, veniam deprecare; non patieris repulſam. Acquievit ille Reginæ conſilio, & quidem fæliciſſimo exitu: nam viſo filio mox ei Rex culpam omnem remiſit. Agat idem peccator, cum fiducia è brachijs Reginæ clementiſſimæ cum Simeone & Anna filium Regis ſuſcipiat; & per illum Regem æternum deprecetur pro offenſis, non poterit repelli, ſed cum pace & gratia dimittetur.

*V. exemplum hoc feſtum concernens in Candelabro myſt. tr. 7. lect. 4. in fine.*

## DE CANTICO SIMEONIS.

Lect. 18. tripartita.

*Nunc dimittis ſervum tuum Domine, &c.*
Luc. 2.

Exordiū.

SImeoni juſto & annoſo ad hoc tantum videtur vita prorogata, ut Jesum ulnis complecteretur, & ut Salvatorem omnibus annunciaret venientem. Poterat ergo cum Propheta ſæpe repetere, unico Salvatoris videndi, eumque alijs annuntiandi deſiderio ſuccenſus: *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Psal. 37. Et iterum cum Moyſe poterat dicere: *Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi faciem tuam.* Exod. 34. Nec poterat ei Dominus reſpondere: *Non videbit me homo, & vivet*, quandoquidem unicum erat ejus deſiderium poſt Jesum viſum deſinere vivere, & videndo mori, vel moriendo videre. Magna ergo flamma amoris & pietatis in ejus fuit ſuccenſa corde, dum potius eſt deſiderio; cujus ſcintillæ tot ſunt, quot verba, quæ depromſit in complexu Salvatoris, in cantico iſto ſuaviſono. Quod quidem verbis breve eſt, ſed myſterijs fœcundum; quia oſtendit ſe pervidiſſe ſublime iſtud myſterium à ſæculis abſconditum myſterium ſcilicet Incarnationis & Redemptionis omnium populorum: quod plene non agnoverunt Apoſtoli niſi poſt Spiritum ſanctum deſcendentem. Immò Petrus poſt Spiritus deſcenſum adhuc non agnoverat myſterium iſtud Redemptionis ad Gentes ſpectare; unde viſione lintei è Cœlo dimiſſi debuit edoceri. At Simeon illud perfectè agnovit, & palam hic prædicavit, aliaq; myſteria Crucis per revelationem ſcivit, de quibus ad Virginem verba facit. Pauca igitur de hoc Cantico amoris pleno & flammivomo proponemus.

MUltæ ſunt cauſæ, cur de Chriſto Domino dixerat Propheta Iſaias: *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.*

*Pars I. Chriſtus Deus abſconditus ſemper ſe aliquibus manifeſtavit Iſai 45.*

1. Ipſe enim qui in Nativitate æterna in Patris mente, velut in umbroſo monte, lucem habitat inacceſſibilem, & nobis abſconditam, etiam poſt rerum creationem varijs ſeſe ſub figuris olim abſcondere voluit.

2. Veniens in hunc mundum abſconditus voluit agere in Matris utero, novem menſium ſpatio.

3. Ex utero hoc progrediens, in ſtabulo & præſepio, in pannis & fœno velut abſcōditus latet, noſtræ etiam carnis infirmitate velatus. Sive igitur myſterium Nativitatis æternæ ſive myſterium Nativitatis terrenæ conſideres, meritò poteris dicere cum Propheta: *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.*

4. Poſtmodum is qui Deus homo erat, vitam quandam egit abſconditam triginta annis, ſine mi-

raculis aut ſignis, ſine aperta manifeſtatione divinitatis; ita ut ſeptem annis latuerit in Ægypto, reliquis in Nazareth ſervilibus vacans operibus tamquam fabri filius: ergo & de his omnibus annis meritò dicemus: *Verè tu es Deus abſconditus.*

5. Ulterius poſt illos triginta annos, quadraginta dies peragit in deſerto, ibi velut latens & incognitus, inter rupes & ſaxa recumbens, & jejunans, quaſi egeret jejunio, & remedio hominis peccatoris: ergo & ibi verum eſt: *Tu es Deus abſconditus.*

*Act. 17.*

6. In cruce, quis eum agnoſceret inter tot anguſtias & blaſphemias, aut in ſepulchro in pulvere jacentem, ſyndone & linteis velatum? An non & tunc verum eſt; *Verè tu es Deus abſconditus?* Certè illa Crux quæ fuit ejus Ara, meritò geſtare poſſet eandem inſcriptionem, quam Paulus Athenis invenit: *Ignoto Deo.* Poſtremò, is qui ſe abſcondit ſub carne, in utero, in Ægypto, in deſerto, in cruce, in ſepulchro, voluit & carnem, & animam, & divinitatem ſub panis & vini ſpecie abſcondere in Sacramento. Verè infinitis titulis; *Tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator.*

*Iſraeli Deus manifeſtus.*

Attamen non poteſt Chriſtus dici abſconditus Iſraëli Deus, quandoquidem Iſraëli idem eſt quod videns Deum: vidit ergo eum quicumque de Iſraël eſt, videt per fidem, agnoſcit per adorationẽ; videt divinitatem ſub carne, agnoſcit potentiam ſub infirmitate. Agnoſcit hunc aliis ignotum Deum, ſive in infantia, ſive in perfecta ætate; ſive in utero, ſive in præſepio, ſive in Nazareth, ſive in Ægypto. ſive in deſerto jacentem, ſive in horto incurvatum; ſive in patibulo extenſum, ſive in ſepulchro; & in fine uſque ſæculi agnoſcit in Sacramento, quem Angeli adorant in cœlo. Nunquam verò defuerunt aliqui qui verè de Iſraël eſſent, tamquam à Deo electi teſtes, qui eum aliis manifeſtarent; ita ut poſſimus è contrario dicere: *Verè Domine, tu es Deus manifeſtus, Deus Iſraël Salvator.*

*1. Prophetis.*

*Primò* quidem antiquitus electi ſunt Prophetæ de Iſraël, qui Deum latentem ſub variis ſimilitudinibus & figuris aliis manifeſtarent; unde & videntes dicti ſunt, quaſi per Prophetæ lumen procul conſpicientes, & agnoſcentes eum qui venturus erat. Talis erat Jacob, qui oculo prophetico Chriſtum agnoſcens moriendo, dicit: *Expectabo Salutarè tuum Domine.* Talis & Abacuc: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo* JESU *meo* An non hi & ſimiles poterant dicere: *Viderunt oculi mei Salutare tuum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.*

*Gen. 49. Abac. 3.*

*2. Mariæ & Ioſeph.*

*Secundò*. dum in utero clauſus agit, agnoſcit eũ MARIA, agnoſcit & Joſeph, qui de Iſraël erant. Unde canit MARIA. *Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Agnoſcit Joannes, de utero in uterum figens aciem oculorum. Agnoſcit & Eliſabeth per exultationem prodigioſam infantis adorantis Deũ aliis incognitum. Et hi igitur de Iſraël erant, & poterant dicere. *Viderunt oculi mei Salutare tuum.* Ergo verè tu es Deus abſconditus in utero, ſed Iſraëli manifeſtus, ô Chriſte!

*3. Paſtoribus & Magis.*

*Tertiò*, dum in ſtabulo & præſepio abſconditus latet, agnoſcunt eum Angelis canentibus Paſtores, tamquam qui primitiæ erant Iſraëlis: agnoſcunt & adorant Deum incognitum, oculo fidei illuminato ſibi manifeſtum. Agnoſcunt & poſtmodum, ſtellâ monſtrante, Magi & Reges, quem non vult agnoſcere cum ſuis Herodes; quia & ipſi erant de Iſrael, non ſecundum carnem, ſed ſecundùm ſpiritum & promiſſionem. Poterant ergo etiam hi dicere: *Viderunt oculi mei ſalutare tuum; lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.*

Et quandoquidem dies, quo advenerunt adorantes, *Epiphania*, hoc eſt manifeſtatio, dicitur; nos iterum dicere hic poſſumus: Verè, ô Domine, tu es Deus abſconditus in ſtabulo, & manifeſtus in ſtabulo: manifeſtus utique præordinatis à te teſtibus veris ſecundùm ſpiritum Iſraëlitis.

*4. Ægyptiis.*

*Quartò*, dum agit abſconditus & ignotus in Ægypto, non defuerunt ultra JOSEPH & MARIAM qui eum agnoſcerent, idolis tunc corruentibus, & oraculis dæmoniorum ceſſantibus, aliiſque nonnullis ſignis divinitus editis, ut puer ille divinus ab Ægyptiis agnoſceretur, qui etiam de Iſraël cenſerentur, electi teſtes divini myſterii, & Salvatoris nati. Sed & infantes ab Herode occiſi propter puerum tunc natum & abſconditum, mox agnoverunt eum; verè proles Iſraëlis, & primitiæ Martyrum infanti Deo dedicatæ. Itaque & tunc is tyranno fuit abſconditus, Iſraëlitico germini ut Salvator fuit manifeſtus.

*& Innocentibus.*

*Quintò*. Qui in deſerto quadraginta diebus latuit, jam paulo ante Joanni fuerat voce cœlica manifeſtatus in baptiſmo, qui & ad hoc fuit miſſus, ut eum manifeſtaret Iſraëli, ſicut ipſe teſtatur; *Propterea veni in aqua, ut manifeſtetur in Iſraël.* Atque etiam poſtmodum Petro, Joanni, Jacobo, apertiſſimè fuit manifeſtatus in monte, tamquam electis teſtibus gloriæ ſuæ: ubi iterum vox Patris eum manifeſtavit, lumen quoque & gloria promicans ex ejus corpore. Et hi poterant dicere: *Viderunt oculi mei Salutare tuum, lumen ad revelationem gentium; & gloriam plebis tuæ Iſraël*; nam de Iſraël ipſi electi ſunt, perſonam gerentes omnium Electorum, qui poſtmodum Dei gloriam in æternitatis monte ſunt viſuri. Iterum igitur & hic dicere poſſumus. Verè Domine, tu es Deus abſconditus in carne, & in nube: & tamen Iſraëli manifeſtus in luce & divinâ voce agnitus ab Elia & Moyſe, agnitus à Petro, Jacobo, & Joanne, totius electi Iſraëlis nomine.

*Ioan. 1.*

*Matt. 17.*

*Centurioni &c.*

*Sextò*. Dum agit ignotus Deus in cruce, & poſtmodum latens in ſepulchro ſub rupe, non deſunt de Iſraël qui eum agnoſcant; terrâ, cœlo, ſole prodigiis ſuis eum manifeſtante. Nam & Centurio pro-

pronunciat: *Verè filius Dei erat iſte*; & multi percutiebant pectora ſua revertentes à crucifixione. Certè hi de Iſrael electi erant, ut fieret eis Deus Iſrael Salvator manifeſtum, qui reprobis Principibus & Scribis deſpectus erat; & abſconditus.

PARS II.
*Quomodo ſpecialiter ſe Simeoni manifeſtarit.*
*Mal.3.*

POſtremo, ut ad propoſitum noſtrum propiùs accedamus, abſconditus fuit Chriſtus ſub pannis infantiæ, in gremio matris ad purificationem accedentis, quaſi infantem communem geſtaret; ſed debuit manifeſtari in templo Iſraeli, cujus ipſe Salvator advenerat, de quo & propheta dixerat: *Ecce veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtimenti quem vos vultis.* Ideo ad hoc eliguntur Simeon & Anna, expectantes conſolationem Iſrael. Et propterea ille coram toto Iſraele, in divinas laudes pueri erumpit, inclamans: *Nunc dimitte ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuũ in pace, quia viderunt oculi mei Salutare tuum.* Nunc dicit cum

*Gen.32*

Iacob, non cum timore ut ille, ſed cum ſumma exultatione: *Vidi Dominum, & ſalva facta eſt anima mea.* Satis diu importunis deſideriis luctatus fuerat cum Deo totâ nocte mœroris; nunc illuceſcente aurorâ conſolationis invaleſcit, & petitâ benedictione potitus, dimitti petit, gratias agens & benedicens. Et quidem tali gratias agit Cantico,

*Gratiarum actio pro benefícius acceptis impendenda.*

quod in Eccleſia in finem uſque ſæculi perdurabit, & luce ſuâ oculos caligantes illuminabit. Itemque hoc fuit ſolitum antiquis Patribus. ſpeciali aliquo beneficio percepto, laudis & gratitudinis cantica depromere. Sic fecit *Moyſes & Aaron* AEgyptiis ſubmerſis. Sic *Debora Prophetiſſa* victoriâ contra *Siſaram* Principem reportatâ. Sic *Anna* mater *Samuelis*, prole hac impetratâ Sic *Ezechias*, accepto beneficio de vitæ ſuæ prolongatione, Sic *Tobias*, oculorum recepto lumine. Sic *Iudith*, truncato *Holoferne*. Sic pueri in fornace Babyloniæ. Denique, ſic in novo etiam teſtamento egit MARIA poſt ſalutationem *Eliſabeth* cognatæ, & *Zacharias* in nativitate Ioannis receptâ voce. Ad horum ergo omnium imitationem Simeon hoc canticum depromit totâ cordis affectione. Et quia hæc tria cantica Zachariæ, MARIæ, Simeonis, ſpecialiter laudes continent, & gratiarum actionem pro filii Dei incarnatione, ideo in Eccleſia repetuntur quotidie.

Et quidem ſub noctem iſtud decantatur ut intelligat quilibet Fidelis ſic diem transſigendum, quaſi eâ nocte mors incumbat, & ideo non anxiâ conſcientia ſed lætâ, unicuique expectandus ſomnus quaſi imago mortis, quia & ipſe non raro in mortem deſinit: providendumque ut ſit mors nobis quædam demiſſio ex hoc carcere, ad quietem & pacem æternam, & ideo unicuique cum Simeone cantandum: *Nunc dimittis ſervum tuũ Domine, ſecundum verbum tuum in pace*: juſto enim cuilibet quamdiu in corpore agit bellum quoddam inſtat cum Carne, Mundo, Sathana: ſed mors finis eſt belli, pacem adferens & quietem. Ideo Abrahæ dictum eſt: *Tu autem vades ad Patres tuos in pace, nutritus in ſenectute bona.*

*Gen.15.*

Sed mirum videri poteſt, cur Sanctus ſenex tam cito cupiat dimitti: an non ſatis foret, ô Simeon, divino hoc puero diutiùs te frui? dum vitam portas, cur non diutius illam tenere exoptas? Dic igitur, ô Simeon, & ediſſere nobis deſiderii tui cauſas? arrectis auribus eas excipiemus. Reſpondet ipſe: Tria ſunt quæ me ad id impellunt ut dimitti exoptem.

*Simeon cur ſe dimitti petat.*

1. Quia cum mors omnibus terrori ſit, nunc dum vitam manibus & ſinu geſto, metus omnes adimitur, nec elabi cupio hanc tutò moriendi oportunitatem 2. Video oculis adeo ingens bonum, ut nihil amplius ſit expectandum quod videam; immò claudendi oculi ſunt, ne rebus fœdentur humanis, ne in rem turpem vel mœſtam incurrant, & pulchritudinem ac lucem, quam oculis hauſi, mihi eripiant. Denique, animadverto quanta puer iſte paſſurus ſit, quantum ſanguinis fuſurus, quam crudeli morte configendus; horrent oculi horum aſpectum, & in mortem claudi malunt, quàm ſuperſtites hæc videre. Tu, ô Mater, hæc videbis, eheu! Et gladius animam tuam pertransſibit, dum elevabitur in ſignum, cui contradicetur. Ego autem quaſi Cygnus cantans, vitæ finem exopto; & viam patrum lætus ingredior, cum Iacob viſo filio pronuncians; *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo.* Aveo quoque quãtociùs Patribus meis in carcere detentis in lymbi tenebris, lucem hanc quam oculis meis vidi, adventuram nunciare, ut & ipſi mecum exultent in Deo ſalutari ſuo. Has porrò rationes indicant SS. Patres, & maximè poſtremam, quâ videtur optaſſe dimitti Simeon, ne cogeretur videre contradictiones contra Chriſtum ſuſcitandas, opprobriaque & mortem crudelem. Vnde illam B. Tymothæus Ieroſolymitanus exprimit his verbis. *Abſolvar nunc quaſo Domine, ne diutiùs hic hærens, quæ nolim intueri compellar; etenim Spiritus S. qui in me eſt, palã oſtendit quæ in te futura ſunt. Dimitte ergo me nunc; obſecro, ne videã nefariũ Iudæorum in te facinus, ne videã coronam ex ſpinis contextam, ne videam ſervum alapam infligẽtem, ne videã lanceã in te adactam, ne videam te clavis cruci affixum.* Nimirum tantâ jam conſpectâ luce, tanto concepto gaudio, non cupit videre obſcuritatem & horrorem, non tenebras aut luctum amarum; quem ſentiet omnis creatura in morte Salvatoris, quæ gaudium quoddam experta eſt in adventu & Nativitate ejus.

*Gen.46.*

*Serm. de Simeone.*

Hoc reſervabatur Mariæ; quæ quoniam in partu fuerat doloris expers, experiri debebat illum in Paſſione Filii, ut conſors foret & cooperatrix redemptionis: & hoc eſt quod ei dicit Simeon: *Animam tuam per transſibit gladius doloris*, dum ſcilicet, novo quodam partu cum filio paries filios adoptionis & ſalutis.

*Pars III. Quomodo fœliciter mori Simeon nos doceat.*

*Num. 23.*

PORrò Simeon exultans jam appropinquante morte, omnibus piis exemplum dat & animum mortem cum hilaritate expectandi, nam omnium juſtorum fœlix eſt exitus, dicente etiam impio Balaam. *Moriatur anima mea morte juſtorum, & noviſſima mea fiant ſimilia noviſſimu eorum.* E contra verò impiorum infœlix eſt exitus, nec dimittuntur in pace; ſed acerbiſſimum eis tũc incumbit bellum, cum verme conſcientia, cum dæmone; cum igne. Et ideò cantus eorum tunc non eſt niſi cantus maledictionis & blaſphemiæ, quo ſibi ſuiſq; parentibus, imò Deo & omnib. maledicunt creaturis: Tunc eis non contingit videre ſalutare Dei, ſed omnib. circumvallari malis, væ undiq; & væ & æternum væ cõſpiciunt, ſive ſuprà, ſive infra, ſive intrà; ſive circà oculos vertant. Suprà enim cœlum clauſum intuentur; infra infernum apertum, intrà conſcientiæ remorſum, circà dæmonum vultum horridum quæ omnia mirũ eis bellum ingenerant. Abſq; dubio acerbum ſibi bellũ experiebatur ille, (*Hom. in Evang.*) quia apud Divum Gregorium his circumvẽtus inclamabat *Inducias vel uſq; manè, Inducias vel uſq; manè*; ſed inducias non habuit, qui dum pacem cũ Deo & cõſcientia inire poterat, penitus neglexit & contempſit: qui tempore ſuo illud Prophetæ attẽdere debebat: (*Abac. 3.*) *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionẽ meam, & conſiderabo quid reſpondere debeã ad arguentem.* Quaſi diceret: Omnibus aliis relictis, in cuſtodia mei ſollicitè & perpetuò vigilabo, in cura bonæ conſcientiæ pernox & pervigil ero, non jacebo ſupinus, ſed figam gradum ad hoſtium incurſum paratus, ut Duci meo rationem valeam reddere pervigilis & conſtantis animi in excubiis mihi commiſſis.

Vtinam ergo omnes nos in egreſſu illo, in quo gravior nobis incumbet conflictus, canere valeamus cũ Simeone: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace;* Hoc autem fiet ſi ſæpius Salvatorem noſtrum ulnis fidei & dilectionis amplectamur, qui nobiſcum ſe futurum promittit uſque in finem ſæculi, & adeſſe ſpondet in exitu periculoſo, & diſcrimine ancipiti. Habemus itaque eundem quem Simeon in altari, brachiiſque ſinceri amoris & fidei eum cum voluerimus, poſſumus amplecti: ſpondet autem ipſe nos implere omni benedictione cœleſti, & tam quam lumen & ſalutare Dei, depulſis tenebris, nos illuminare, & deducere in viam pacis & æternitatis.

Hanc vocem Simeonis in extremo ſpiritu pronuntiabat ſanctus Eligius Epiſcopus, plenam ſpe & gaudio: (*Surius in vita ejus*) *Nunc*, inquit, *dimitte Domine, ſervum tuum ſecundum verbum tuum in pace.* In quib[9] verbis animam Deo reddidit: viſaque eſt inſtar ſtellæ in crucis modum compoſitæ, in Cœlum ferri rectiſſimè, ſic Deo ſpecialiter diſponente, quia ejus vita perpetua quædam crux fuerat, & ipſe aliis præluxerat verbo vitæ & exemplo doctrinæ. (*Dan. 12.*) Sic in illo complebatur illud: *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Similiter *S. Maria Ægyptiaca* ex hac vita migratura cum quadraginta annos in deſerto exegiſſet, hominibus incognita, Angelis ſolis nota) tandem à Zozima Abbate divino impellente ſpiritu fuit viſitata, & ab illo vivifica ſuſcipiens myſteria, extenſis in cœlum manibus, cum lachrymis ingemiſcens, dixit: *Nunc dimittis ancillam tuam Domine, ſecundum verbum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum* Et his dictis, anima mox in cœlum evolavit, ad pacem & lucem æternæ viſionis.

Sic & alii non pauci, ſi non iiſdem planè verbis ſimilibus tamen, idemque cum Simeone deſiderium & gaudium exprimentibus, in extremis uſi ſunt, cupientes diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, cupientes dimitti, & videre in æternum ſalutare Dei. (*Mortem ſancti cum gaudio exoptant.*) Inter hos S. Franciſcus qui in Eccleſiam *B. Mariæ* Angelorum deportatus, ubi ſpiritum gratiæ primò hauſerat, ibidem ſpiritum vitæ in manus Redemptoris reddidit in his verbis, (*Pſal. 141.*) *Educ de cuſtodia Domine animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant juſti donec retribuas mihi.* An non hoc ejus deſiderium, hæcque vox ejus poſtrema conſonat cum voce & deſiderio juſti Simeonis? Quid eſt aliud educi animam de cuſtodia, quam dimitti in pace? Ad quid vero hæc eductio aut dimiſſio, niſi ad videndum clarius ſalutare Dei, ad confitendum plenius nomini Domini cum electis & juſtis, qui expectant retributionem fratrum ſuorum, & adimpletionem numeri prædeſtinatorum.

Sic & S. Stephanus ubi morti vicinus inter ſaxa crepitantia vidit oculis in cœlum intentis ſalutare Dei, Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei, inclamabat: (*Act. 7.*) *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum, & ne ſtatuas illis hoc peccatum*; & his dictis; obdormivit in Domino. Quid eſt, ſuſcipe ſpiritum meũ, inquit S. Aug. niſi idem ac ſi diceret: *Tibi vixi, tibi morior accipe ſpiritum meum de manu eorũ qui oderunt tuũ* (*Aug. Ser. 93. & 51.*) *Feciſti me victorem, recipe me in triumphum. Illi perſequũtur, tu ſuſcipe; illi eiiciũt, tu intromitte. Dic ſpiritui meo, intra in gaudium Domini tui.*

Similiter S. Agatha poſt varia tormenta in carcerem reducta ſemiviva, ſic Dominum eſt precata: *Domine qui me cuſtodiſti ab infantia, qui abſtuliſti à me amorem ſæculi, qui me carnificum tormentis ſuperiorem feciſti, accipe animam meam.* Ea vero in oratione migravit in cœlum.

Denique S. Gorgonia ſoror S. Gregorii Nazianſeni læta erat in extremis, & cum gaudio vitam finivit, ad illam eandem pacem adſpirans; ad quam Simeon juſtus: nam ejus hæc fuerunt extrema verba: (*Pſal. 4.*) *in pace, in idipſum dormiam, & requieſcam.* Quæ verba quondam ruminans *S. Aug.* in quodam ſpiritus fervore, ſic pronunciat *O in pace, o, in idipſum, ô qui dixit dormiã & requieſcam!* Non abſimili modo verba illa Simeonis ruminantes; *Nunc dimittis ſervum*